De Gaio Vettio Aquilino Iuvenco carminis evangelici poeta et Vergili imitatore.

Dissertatio Inauguralis Philologica

Quam Scripsit Et

Amplissimi Philosophorum Ordinis

Consensu Et Auctoritate

Ad Summos In Philosophia Honores

In

Universitate Litterarum Viadrina Vratislaviensi

Rite Impetrandos

Die XXVII. M. Iunii A. MCMV Hora XI

Una Cum Sententiis Controversis In Aula Leopoldina

Publice defendet

Hermann Widmann,

Hasso-Nassoviensis.

Adversarii Erunt:

M. Nowak, cand. phil.

E. Bilek, cand. phil.

Vratislaviae,

Typis R. Nischkowsky.

1905.

Praeceptori optime de se merito

Eduardo Norden

Dr. phil., professori o. p.

pietatis ergo.

Index operis.

Caput I.

Priusquam disputemus, quomodo Iuvencus evangelia versibus hexametris expresserit et quomodo Vergilio usus sit, nobis sunt tractandae hae quaestiones gravissimae, utrum poeta secutus sit textum solum graecum an latinum solum textum inspexerit an utrumque. Ex Hieronymi quidem verbis, qui in libro «de viris illustribus» LXXXIV dixit: «*Iuvencus .... quattuor evangelia hexametris versibus paene ad verbum transferens quattuor libros composuit*», concludi posse mihi videtur Iuvencum evangelicum carmen suum e solo textu graeco composuisse. Nam «*transfertur*» aliquid e lingua aliena in sermonem, qui notus est nobis. Rectene igitur dicit vir ille doctissimus? Estne Iuvenci carmen translatio paene ad verbum confecta? Magis equidem putaverim Iuvencum orationem textus latini solutam ita transtulisse, ut versus hexametri fierent. Phrasem «*paene ad verbum transferre*» nihil aliud esse puto nisi versionem vocabuli graeci «παραφράζειν» sicut vocem «*explicare*», quam Hieronymus aliis duobus locis adhibet, quibus Iuvenci mentionem facit. Utroque loco dicit auctor doctissimus «*Iuvencum .... historiam domini salvatoris versibus explicasse*[1])». Praeterea obstat res ipsa iis, qui Iuvenci carmen putant esse translationem. Nam quicumque hoc Iuvenci carmen legerit, persuasum habebit illud minime dici posse translationem veram. Etsi Iuvencus materiam traditam non mutat, etsi nonnumquam singula vocabula vel maiores vel minores sententias bibliorum sacrorum

---

[1]) ep. LXX § 5 vol. I p. 430 ed. Vallarsii. — Schoene, *Eusebi chronicorum libri duo,* vol. II p. 192 (ad Ol. CCLXXVIII).

retinet, tamen nequaquam eius carmen est translatio, nisi forte quis dicit locum hunc Iuv. II 541 sq.[1]):

«*Lex omnis summam baptistae ad tempora cepit*
Atque profetarum finis concluditur idem»

ad verbum esse translatum e Mtth. XI 13: «πάντες γὰρ οἱ προφῆται καὶ ὁ νόμος ἕως Ἰωάννου ἐπροφήτευσαν». Similes locos quos afferre possum omitto.

Qui de Gaio Vettio Aquilino Iuvenco sive brevius sive accuratius scripserunt[2]), omnes in eo consentiunt Iuvencum materiam suam maxime duxisse e versione latina et textum graecum interdum inspexisse. Omnes autem, qui dicunt Iuvencum interdum textu graeco usum esse, Gebseri auctoritate nituntur, qui unum exemplum affert argumenti causa. Is enim in capite B dissertationis[3]) ubi tractat «*de utilitate exegetica huius operis*», dicit p. 43: «*hoc unum tantum commemorare volumus, retinuisse Iuvencum IV 696 graecam vocem, quam etiam Mtth. XXVII 48 adhibuit,* σπόγγον *dico:*

— *Tunc concitus unus*
Cogebat spongo turpi calamoque revincto
Impressum labiis acidum potare saporem.

Haec vox quae alibi haud exstat, testis est nostrum codice graeco usum esse. Itala et Vulgata habent «spongia». Ita Gebserus. Cum re vera vox «spongus» neque in codicibus ante Hieronymum neque in Vulgata neque umquam alias in litteris latinis inveniatur, Gebserus recte argumentatus est. Vox «spongia» in versu hexametro adhiberi non potest, nisi forte nominativus singularis ponitur. Sed in carmine disquirendo alia exempla inveni, quae huic rei argumento sint.

---

[1]) Numeris usus sum Huemeri.

[2]) Nomina eorum qui de Iuvenco scripserunt scriptorumque quibus de eo agitur reperiuntur in his libris:

a) *Realenzyklopädie für protestantische Theologie u. Kirche IX s. v. Iuvencus (Leimbach);*

b) Bardenhewer, *Patrologie, Freiburg i. Br. 1901 p. 368;*

c) Martin Schanz, *Gesch. d. röm. Litterat. IV. T. in „Handbuch der Klass. Altertumswissenschaft“ VIII.*

[3]) Gebser, *de Gaii Vettii Aquilini Iuvenci vita et scriptis, Jenae 1827.*

Exempla a me reperta partim illi Gebseri exemplo similia sunt, Iuvencum enim interdum vocabulum graecum recepisse demonstratur, cum codices latini vocem latinam praebeant, partim sunt talia, quibus poetam nonnumquam accuratius convertisse appareat quam eos qui textum graecum latine interpretati sunt.

Dubium non est quin vocabulum «*noti*», quod legimus apud Iuvencum II 707: «Et regina *noti* . . . .» sumptum sit sicut «spongus» supra memoratum e textu graeco ipso, in quo legitur Mtth. XII 42 «βασίλισσα νότου», cum omnes codices latini habeant «regina *austri*».

Simile exemplum praebet Iuv. IV 732 = Mtth. XXVII 63, quo in loco vocem graecam «πλάνος» obtinet, quam omnes codices latini verterunt «*seductor*».

Graviorem autem argumenti vim habent ea exempla quae in accuratiore interpretatione posita sunt.

Quod apud Lc. I 42 legimus «καὶ εὐλογημένος ὁ καρπὸς τῆς κοιλίας», quod latini convertunt «*et benedictus fructus ventris* tui», quod Iuvencus exprimit I 87: «*felicem gestans uteri sinuamine fetum*», quis est qui neget Iuvencum vocem graecam «κοιλίας» paene ad verbum transtulisse per «*uteri sinuamen*» conservantem vim «*cavati*», quae est in voce graeca «κοιλία».

Apud evangelistam Ioh. II 10 legimus «πᾶς ἄνθρωπος πρῶτον τὸν καλὸν οἶνον τίθησιν . . . .», quae in codicibus latinis vertuntur «omnis homo primum *bonum* vinum ponit . . . .»; sed apud Iuvencum II 149 legimus:

«*Increpat . . . ., quod pulchra reservans*
. . . . vina dedisset.»

Dubium non esse mihi videtur, quin Iuvencus per v. «*pulchra*» magis ad verbum transferat «καλόν». Pluralem adhibet causis metricis coactus.

Apud Ioh. V 43 legitur «ἐὰν ἄλλος ἔλθῃ τῷ ὀνόματι τῷ ἰδίῳ, ἐκεῖνον λήμψεσθε», quae verba convertuntur in codicibus latinis «*si alius venerit in nomine suo, illum accipietis*». Sed Iuvencus exprimit hanc sententiam versu II 684:

«. . . . *veniet . . . . alter,*
Nomine quem fultum proprio gens vestra sequetur».

Quis est qui neget vocabulum «*proprio*» omnino idem esse ac graecum «ἰδίῳ», quod ut supra dixi codices latini pronomine reflexivo «*suo*» explicant.

Matthaei verba XV 17 «οὔπω νοεῖτε ὅτι πᾶν τὸ εἰς-πορευόμενον εἰς τὸ στόμα εἰς τὴν κοιλίαν χωρεῖ....» codicum antehieronymicorum auctores interpretantur «non intellegitis quoniam omne quod in os intrat in ventrem *vadit* ....» excepto codice Cantabrigiensi qui habet «*cadit*», quod mendum esse potest pro «*vadit*». Sed «χωρεῖν» est neque «*vadere*» neque «*cadere*», si recte traditur, sed «*cedere*», quod apud Iuvencum reperimus III 164/65:

«*Nam quaecumque .... veniunt extrinsecus ori,*
In ventrem cedunt ....».

Locus ergo testis videtur esse, Iuvencum inspexisse textum graecum.

Vocabulum «ὀλιγόπιστοι» Mtth. XVI 8 in codicibus latinis convertitur «*modicae fidei*», sed Iuvencus magis ad verbum exprimit III 244 «*quam parva* fides ....» Nam «ὀλίγος» est non tam «*modicus*» quam «*parvus*».

Gravissimo argumento est locus hic Mtth. XXIII 37 «ὃν τρόπον ὄρνις ἐπισυνάγει κ. τ. λ.», quod vocabulum «ὄρνις» omnibus in codicibus latinis vertitur per «*gallina*»; sed Iuvencus IV 81 ad verbum vertit «*ales*» *(ales uti dulces solita est sub corpore pullos — fovere).*

Nescio an etiam hoc exemplum proferre liceat:

Apud Mtth. XIX 29 legitur vocabulum simplex «λήμψεται», quod omnibus in codicibus latinis vocabulo composito «*accipiet*» redditur, cum Iuvencus simplex retinuerit vertens III 547: «*capiet*»; sane fieri potest ut Iuvencus necessitate metrica coactus sit vocabulum simplex praeferre composito.

Locus autem I 667 quo legitur vocabulum simplex «*rumpent*», quod omnino respondet voci textus graeci simplici «ῥήξωσιν» (Mtth. VII 6), quod omnibus in codicibus latinis redditur vocabulis compositis vel «*corrumpant*» vel «*disrumpant*», argumenti pretium habere mihi non videtur, cum Iuvencus hoc loco verbis Vergilianis usus sit Aen. IX 580: «. . . letali *volnere rupit.*»

Eodem modo retinet Iuvencus vocabulum textus graeci compositum, quibus locis textus latini praebent simplex:

Apud Mtth. XX 25 «. . . οἱ ἄρχοντες τῶν ἐθνῶν κατακυριεύουσιν αὐτῶν καὶ οἱ μεγάλοι κατεξουσιάζουσιν αὐτῶν.» exstat vocabulum compositum «κατακυριεύουσιν», quod cum omnibus in codicibus latinis explicetur vocabulo simplici «*dominantur*» Iuvencus III 603 magis vertit ad verbum:

> «*Gentibus infidis celsa dicione potestas*
> *Inponit quoscumque super dominantur eorum*
> *Exercentque trucem subiectis urbibus iram*».

Ita iam Arevalus[1]) quoque explicavit dicens: «*Lego cum manuscriptis «quoscumque super dominantur eorum» et possunt haec duo verba coniungi «superdominantur» ut superingerere, superaddere, superducere et similia*». Qua interpretatione tolluntur omnes difficultates, quas hic locus attulit iis, qui Iuvencum aut explicaverunt aut ediderunt, ita ut minime opus sit coniectura. Liceat ergo mihi nunc adicere, quomodo locus ille sit construendus III 602 sq.: «Gentibus infidis celsa dicione potestas imponit quoscumque = eos quicumque superdominantur eorum exercentque trucem subiectis urbibus iram». Recte igitur adnotat Huemerus in editionis suae indice p. 157 et 159 «dominari cum genetivo». Ergo Iuvencus reddit ad verbum κατακυριεύουσιν αὐτῶν.

Alter locus qui est argumento Iuvencum inspexisse textum graecum est IV 481 = Mtth. XXVI 36. Evangelista utitur hoc loco verbo «καθίσατε», quod codicum latinorum auctores verbo simplici «*sedete*» reddunt; sed Iuvencus dicit «*iussit residere ministros*» compositum retinens. Et paucis versibus post IV 534 = Mtth. XXVI 55 idem verbum «ἐκαθεζόμην» Iuvencus iterum reddit per «*residere*», cum codicibus latinis reddatur hic quoque per «*sedebam*» solum.

---

[1]) in Mignii editione quae vocatur: *Patrologiae cursus completus etc.* «*serie latina tom. XIX p. 264.*

Quod diu putavi locos hos duos Iuv. I 209 = Lc. II 34 et Iuv. II 716 = Mtth. XII 43 esse testimonio Iuvencum adhibuisse textum graecum id falsum esse postea intellexi.

Loco I 209 «*hic puer ad casum populi datur* . . . .» vox «*casus*» a Iuvenco ad verbum translata esse mihi videbatur e graeca voce «πτῶσις», quam codicibus in latinis per «*ruina*» reddi intellexi; iam vero codice in Veronensi etiam vocem «*casum*» inveni.

Similiter res se habet loco altero II 716, quo Iuvenci circumlocutionem negativam «*qua nulla excurrit fontani gurgitis unda*» petitam esse putavi e vocabulis graecis «δι' ἀνύδρων τόπων», quod omnibus in codicibus latinis vel per «*arida loca*» vel per «*arida et deserta*» exprimi arbitratus sum. Quae opinio nunc refutatur, cum codicibus in latinis et Cantabrigiensi (d) et Bobbiensi (k) translationem accuratam invenerim «*inaquosa*». Iuvencus ergo circumlocutionem sumpsisse potest e textu latino.

Quibus exemplis allatis intellegitur **Iuvencum textu graeco usum esse.** Nunc ad quaestionem alteram transgrediamur, num textum latinum quoque adhibuerit, cuius rei varia afferam exempla, primum talia, quibus demonstretur Iuvencum recepisse e textu latino translationes minus accuratas.

Matthaei verba V 39 «ἀλλ' ὅστις σε ῥαπίσει ἐπὶ τὴν δεξιάν σου σιαγόνα, στρέψον αὐτῷ καὶ τὴν ἄλλην» in omnibus fere codicibus latinis vertuntur «*si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, praebe illi et alteram*[1])». Neminem effugit hanc versionem non esse accuratam: nam cum legamus in graeco «ὅστις», quod latine est «*quicumque*», non ita in versionibus latinis legitur, sed vel «*si quis*» vel «*qui*»; cum vocabulum «ῥαπίζειν» latine proprie significet «*virga*» vel «*palma caedere*», interpretantur versiones latinae haud accurate «*percutere*»; cum «στρέψον» latine sit ad verbum transferendum «*verte*», ut codex quoque Bobbiensis similiter habet «*converte*», in

---

[1]) in cod. Bobb. (k) in John Wordsworth-White: *Old Latin Biblical Texts II.* legitur: «*set qui te expalmaverit . . . ., converte illi et alteram*».

textibus latinis redditur «*praebe*». Atque si quod Iuvencus habet I 551/52:

«*Ac si quis partem palma percusserit oris,*
Mox aliam vultus partem praebere memento»

comparamus cum textu latino, eum eodem non magis accurate quam vocabulum explicasse, textum ergo latinum sequi apparet.

In Matthaei verbis VI 24 «οὐδεὶς δύναται κ. τ. λ.» occurrit vocabulum «ἀνθέξεται» quod codicibus latinis vertitur aliis per «*sustinebit*» aliis per «*patietur*». Dubium non est quin «*sustinebit*» sit accuratior translatio. Quod Iuvencus quoque habet «*patietur*» I 627: «*nec pariter dominum servus patietur utrumque*», concludere licet Iuvencum ita in textu latino legisse.

Vocabulum «ἀγνάφου» Mtth. IX 16 proprie significans «*nondum curatus politusque a fullone*» redditur codicibus latinis adiectivo «*rudis*», quod apud Iuvencum quoque legitur II 371 «. . . . *rudibus veteres subtexere pannos Vestibus*». Iuvencum id e textu latino sumpsisse puto.

Quae vox «βιάζεται» occurrit apud Mtth. XI 12, codicibus latinis convertitur aliis accuratissime per «*cogitur*» aliis minus accurate per «*vim patitur*». Quod Iuvencus similem praebet eloquendi circuitum «. . . . *vim caeli regia sentit*», illam effectam esse textu eius latino verisimile est.

Verba Mtth. XIV 20 «ἦραν τὸ περισσεύον . . . .» latine convertuntur aliis in codicibus «et *tulerunt reliquias*» aliis «et *colligerunt r.*» aliis «et *sustulerunt r.*» Nulla est dubitatio quin per «*tulerunt*» «ἦραν» magis ad verbum transferatur quam per «*colligerunt*». Quod apud Iuvencum III 89 reperitur idem fere «*reliquias* . . . . *legere ministri*», is in textu latino simile legisse mihi videtur. Vocabulum simplex «legere» Iuvencus adhibet metricis causis coactus.

Matthaei verba XVI 22 «ἵλεως σοι κύριε» omnibus fere in codicibus latinis redduntur «*absit a te*»[1]), quae trans-

[1]) in codice Monacensi (q) vertitur ad verbum «*propitius esto domine* sc. deus», ed. in John Wordsworth-White, *Old Latin Biblical Texts III.*

latio minime est accurata. Quod Iuvencus eandem habet circumlocutionem III 297: «*absint, Christe, tuis .... monstra procul membris*», e versione latina orta esse ea mihi videtur.

Vox «παρακούσῃ» Mtth. XVIII 17 in omnibus versionibus latinis ad verbum transfertur per «*non audierit*» excepto codice Palatino (e)[1], qui habet «*contempserit*», quod Iuvencus praebet. Quodsi Iuvencus congruens cum uno ex codicibus antehieronymicis habeat «*contempserit*» III 428 «*sin et multorum contempserit* ora», concludi potest ex ea re hanc lectionem aliis in codicibus antehieronymicis nobis non servatis exstitisse, quorum ex uno Iuvencus vocabulum sumpsit.

Varie convertuntur in codicibus latinis verba Mtth. XVIII 23 «συνᾶραι λόγον» modo accurate per «*tollere rationem*» modo per «*r. ponere*» modo «*r. discutere*» modo «*r. deducere*». Cum Iuvencus ita dicat III 438 «. . . *nummi rationem qui sibi poni iusserit*», eum in textu suo latino «*rationem ponere*» legisse certum puto.

Quae legimus apud Matthaeum XIX 24 «. . . εὐκοπώτερόν ἐστιν κάμηλον διὰ τρυπήματος ῥαφίδος εἰςελθεῖν, ἢ πλούσιον εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν» codicibus in latinis vertuntur «. . . *facilius est camelum per foramen acus transire quam divitem intrare in regnum coelorum*», qua ex versione intellegimus vocabulum unum «εἰςελθεῖν» reddi duobus verbis «*transire*» et «*intrare*». Si Iuvenci verborum ambitum III 524 sq. contemplamur et consideramus

«*nam citius tenuis per acus transire foramen*
deformis poterunt inmania membra cameli,
quam queat ut dives caelestia regna videre»,

eum non solum duo verba in latinae versionis modum adhibere, sed etiam verba «*per acus transire foramen*» e textu latino ad verbum recipere discimus.

Ultimum huiusmodi exemplum hoc: Quod vocabulum «σῴζειν» inest in verbis Mtth. XXVII 49 «ἄφες ἴδωμεν

[1]) *cod. Palatin. (e) sive evangel. palatin. inedit. ed. Tischendorf 1847, denuo I. Belsheim, Christianiae 1896.*

εἰ ἔρχεται Ἡλίας σώσων αὐτόν» in omnibus codicibus latinis per «*liberare*» redditur excepto Claromontano (h), ubi accurate vertitur per «*salvare*». Quod Iuvencus etiam praebet minus accuratum «*liberare*» IV 700, non dubito quin e versione latina petiverit.

Iuvencum textum latinum adhibuisse quod demonstrare volumus, haud scio an probari possit qua ratione constructiones participiales textus graeci reddiderit. Participium praesens «οἱ δὲ ἐσθίοντες ....» redditur in his codicibus latinis «*manducantium autem fuit numerus*» in illis «*et erant qui manducaverunt*». Iuvenci verba III 91 «*cenantum numerus ... fuit*» prope congruunt cum versione illa textus latini «*manducantium autem fuit numerus*», qua ex congruentia concludi potest Iuvencum textu latino usum esse, in quo participium eodem modo redditum erat.

Ita res se habere mihi videtur in his exemplis:

Mtth. XV 20 «ταῦτά ἐστιν τὰ κοινοῦντα τὸν ἄνθρωπον» redditur omnibus in codicibus latinis per «*haec*» vel «*illa sunt quae coinquinant*» vel «*communicant hominem*»; similiter legimus apud Iuv. quoque III 173 «*haec sunt quae maculant hominem*».

Participium «ὁ πιστεύων εἰς ἐμέ» Ioh. XI 25 in versionibus latinis dissolvitur sententia relativa «*qui credit in me*», quam sententiam relativam Iuvencus IV 350 recipit «*in me qui credit*».

Graviore argumento sunt haec duo exempla:

Matthaei verba XXVI 37 «παραλαβὼν τὸν Πέτρον καὶ τοὺς δύο υἱοὺς Ζεβεδαίου» in plurimis versionibus latinis redduntur constructione ablativi absoluti «*et assumpto Petro et duobus filiis Zebedaei*» excepto Cantabrigiensi codice qui retinet participium praesentis *suscipiens ....*». Sed cum Iuvencus IV 482 ut plurimi codices habeat constructionem ablativi absoluti, eum hanc e textu latino petisse manifestum est.

Ita res se habet Mtth. XXVI 56 «τότε οἱ μαθηταὶ πάντες ἀφέντες αὐτὸν ἔφυγον», quo loco participium aoristi legimus, quod in Cantabrigiensi solo participio «*relinquentes eum*

redditur, cum in aliis codicibus reddatur constructione ablativi absoluti «*relicto eo*». Quae cum constructio apud Iuvencum reperiatur IV 536 «*discipuli passim Christo fugere relicto*», eum hanc e textu latino petiisse apparet.

Iuvencum textu latino usum esse etiam ex iis exemplis intellegitur quibus demonstratur eum cum textu latino congruentem vocem compositam habere quibus locis textus graecus vocem simplicem praebet.

In verbis Mtth. VII 6 occurrit vocabulum simplex «στραφέντες», quod omnibus in codicibus latinis convertitur composito «*conversi*». Idem legitur apud Iuv. I 667 »*conversique sues vasto vos vulnere rumpent*», qua ex re sequitur Iuvencum textum latinum ante oculos habuisse.

Varie in codicibus latinis vox simplex »ἁρπάζουσιν» redditur, in aliis composito «*diripiunt*», in aliis vocabulo simplici «*rapiunt*». Cum Iuvencus quoque habeat vocem compositam II 540 «*et caeli regnum violentia diripit atrox*», eum textum latinum inspexisse colligo.

Iuvencum adhibuisse textum latinum ex his quoque exemplis efficio:

Mtth. XXIV 24 = Iuv. IV 139 et Mtth. XXVII 5 = Iuv. IV 629.

Priore loco reperitur v. s. «ἐγερθήσονται», quod his in codicibus latinis composito «*exsurgent*», in illis simplici «*surgent*» vertitur. Iuvencus cum nonnullis codicibus conveniens praebet «*exsurgent*».

Loco altero exstat v. s. «ῥίψας», quod omnes codd. lat. per «*proicere*» transferunt. Apud Iuv. idem legitur «*proiecit tunc detestans argentum*».

Vox textus graeci **composita** redditur interdum in versionibus latinis et a Iuvenco **voce simplici.**

Quod Iuvencus tribus locis Ioh. III 17 = Iuv. II 228, Ioh. IV 38 = Iuv. II 317, Mtth. XI 10 = Iuv. II 535, quibus in textu graeco occurrit vox composita «ἀποστέλλειν», eam reddit cum versionibus latinis simplici voce «*mittere*» non est dubium quin hac in re versionem latinam sequatur.

Vox composita «ἐπιζητεῖ» Mtth. XII 39 Iuvencus II 695 conveniens cum omnibus codicibus latinis v. simplici «*quaerit*», ex quo consensu conficitur ut Iuvencus etiam hoc loco textum latinum sequatur.

Denique liceat mihi duo exempla afferre, ex quibus mea quidem sententia bene intellegitur Iuvencum uno eodemque loco textum et graecum et latinum iunctim inspexisse.

Verba Mtth. XI 25 «ἐξομολογοῦμαί σοι . . . ., ὅτι ἔκρυψας ταῦτα ἀπὸ σοφῶν . . . . καὶ ἀπεκάλυψας αὐτὰ νηπίοις» omnibus in versionibus latinis «*confiteor tibi . . . ., quia revelasti ea parvulis*», a Iuvenco II 548 sq.:

> «*nunc tibi confiteor . . . . 550 Celasti nunc quod sapientibus ista superbis Parvulaque infantum vis haec conprendere corda*»,

redduntur. Satis apparere puto Iuvenci circumlocutionem niti in textu et graeco et latino. Nam cum vox «*parvula*» e textu latino petita esse mihi videatur, vocem «*infantum*» existimo accuratam esse translationem verbi graeci «νηπίοις».

Argumentum alterum fortasse Mtth. XXIV 22 «καὶ εἰ μὴ ἐκολοβώθησαν . . . .» adduci potest, quo exstat vocabulum «κολοβοῦν» proprie significans «*detruncare*» vel «*mutilare*», quod in codicibus latinis transfertur per «*breviare*», quod ad sensum est rectum. Quod Iuvencus hoc unum vocabulum exprimit duobus «*decerpere*» et «*breviare*» IV 134 sq.:

> «*et ni sublimis genitor decerpere tempus*
> *et numerum miserans vellet breviare dierum*»,

dubium non est quin per «*decerpere*» ducat rationem verbi graeci «κολοβοῦν», quin «*breviare*» petat e versione latina.

Nunc breviter complectemur quod ex iis quae dicta sunt sequitur. **Ut in Iuvenci usu fuit textus graecus, ita textum latinum adhibuit. Quin etiam exempla demonstrare mihi videntur eum textum latinum non modo non anteposuisse graeco, sed etiam fecisse carminis fundamentum, cum textus graecus occasione data ab eo adhibeatur.** Quapropter Iuvencus summa laude dignus est, praesertim cum inde a saeculo III.

p. Chr. n. in occidentalibus imperii provinciis lingua graeca magis magisque obsoleverit. Sed etsi Iuvencus linguam graecam intellexit, tamen eum cum esset Hispanus textum latinum praetulisse graeco consentaneum est.

Quibus rebus satis demonstratis restat ut breviter perstringamus quaestionem qua versione latina usus sit Iuvencus. Hoc quidem certum est Iuvencum non alium textum adhibere potuisse nisi textum, qui prius scriptus erat, quam Hieronymus libros sacros convertit. Sed vix fieri posse puto ut reperiatur quo latino textu Iuvencus usus sit, quod quamvis magnus illorum codicum numerus aetatem tulerit, tamen maior numerus amissus est iniquitate temporum. De magno enim codicum numero dicit Augustinus in libro «*de doctrina Christianorum*» 2, 11: «*qui scripturas ex Hebraea lingua in Graecam verterunt, numerari possunt, Latini autem interpretes nullo modo; ut enim cuique primis fidei temporibus in manus venit codex graecus et aliquantulum facultatis sibi utriusque linguae habere videbatur, ausus est interpretari*». Utut est, illam quaestionem nobis non proposuimus quo latino textu Iuvencus usus sit. Sufficit dixisse Maroldum in commentatione praeclara «*Über das Evangelienbuch des Juvencus in seinem Verhältnis zum Bibeltext*»[1]) ostendisse inter tot translationes antehieronymicas tres proxime accedere ad textum latinum a Iuvenco adhibitum. Sunt codices hi: Vercellensis (a), qui saeculo IV. ab Eusebio episcopo Vercellensi scriptus esse dicitur, Corbeiensis prior (ff[1]), Claromontanus (h)[2]).

Caput II.

1. Nunc ad id quod primum nobis proposuimus pergamus **quomodo** Iuvencus **evangelia versibus hexametris expresserit.** Sed priusquam singula persequar, in uni-

---

[1]) Haec commentatio reperitur in: «*Zeitschrift für wissenschaftliche Theologie*» *XXXIII, 1890, p. 329 sq.*

[2]) De codicibus antehierieronymicis vide: «*L. Ziegler, Die lat. Bibelübersetzungen vor Hieronymus und die Itala des Augustinus, München, 1879*» et «*Realenzyklopädie f. protest. Theologie u. Kirche III. s. v.* «*Bibelübersetzungen*».

versum dicam de Iuvenci virtute poetica. Quamquam nihil novi dicere possum, quoniam viri doctissimi de hac re egerunt, quorum nemo ea, quae Adolphus Ebert[1]) optime praeclarissimeque scripsit, superavit. Iuvencum non solum antiquissimis temporibus christianis, sed etiam media quae vocatur aetate et litteris renatis magna auctoritate floruisse et lectitatum esse inter omnes constat. Argumenta huius rei conservata collegerunt Reuschius[2]), Arevalus[3]), denuo Huemerus[4]) quibus argumentis hoc unum scl. XV. vel XVI. appono, quod nisi fallor, nemo adhuc commemoravit. Exstant in »*elegiis moralibus*« Iohannis Murmellii[5]) versus I 1, 35/36:

«*Composuit nostra redimitus fronde Iuvencus*
Sacram evangelii versibus historiam.»

Iuvencum media aetate maxime in scholis lectitatum esse testimonia invenimus in prolegomenis voluminis XII. »*Monumentorum Germaniae paedagogicorum*« p. XVIII et in Ottonis Denk libro qui inscribitur *Geschichte des gallofränkischen Unterrichts- und Bildungswesens von den ältesten Zeiten bis auf Karl den Großen, Mainz, Franz Kirchheim, 1892, p. 232.*

Quibus ex documentis discimus Iuvencum temporibus praeteritis existimatum esse magnum poetam et praeceptorem. Sed quam diversum iudicium nos facimus de Iuvenco! Etsi maxime laudandus est, quod ab argumento ipso sancto non defecit, tamen vituperationem non effugit, quod simplicem rectumque eundemque dulcem grandemque evangelistarum sermonem oratione rhetorica fucavit. Multa exempla afferre possum, sed sufficit hoc unum: Mtth. verba XII 37 »*ex verbis*

---

[1]) Ebert, *Allgem. Gesch. d. Litterat. des Mittelalt. im Abendlande I, 109 sq.*

[2]) Erhardus Reusch, *Gai Vetti Aquilini Iuvenci historiae evangelicae libri IIII, Francofurti et Lipsiae 1710.*

[3]) Arevalus *l. c. in proleg. p. 41 et q. s.*

[4]) *Corp. scriptor. ecclesiasticor. latinor. Vindobonense XXIV in prolegomenis.*

[5]) *Des Münsterischen Humanisten* Johannes Murmellius *elegiarum moralium libri quattuor, Neudruck Dr. A. Boemer, Münster 1893.*

enim tuis iustificaberis et ex verbis tuis condemnaberis» ambitiosa Ovidii elegantia reddit Iuvencus II 635/36:

«*Verborum meritis veniet sub iudice poena,*
Verborum meritis dabitur sub iudice vita.»

Alia affert Ebertus IV 490 sq. et 553 (ed Huem.). — Suo igitur iure Ebertus[1]) scribit: «*Die Zierde des Stoffes*, inquit, *war Wahrheit. Die treue Wiedergabe derselben mußte seine erste Aufgabe sein .... Damit aber wurde, was auch Iuvencus selbst in einem kurzen Epiloge andeutet IV 804 sq.:*

«*Versibus ut nostris divinae gloria legis*
Ornamenta libens caperet terrestria linguae»

seine dichterische Tätigkeit nur auf die äußere Form des Verses und Ausdruckes verwiesen ....» Poeta Iuvencus certat cum theologo Iuvenco. In hoc certamine plerumque superat theologus poetam. — Quae a Schillero Klopstockii carmini epico quod inscribitur «*Messias*» laudi dantur: «*So ist mir die Messiade als ein Schatz elegischer Gefühle und idealischer Schilderungen teuer*», minime sunt accomodata ad Iuvenci carmen; sed quod Schillerus Klopstockii carmini vertit vitio pergens «*wie wenig sie mich auch als Darstellung einer Handlung und als ein episches Werk befriediget*», idem Iuvenci carmini est opprobrio. Quamquam modus vituperandi nobis est tenendus. Negari non potest virtutes non deesse. Legas velim versum I 545 «*Est est sufficiat, quod non est, dicite, non est!*» Quam eleganter evangelistae verba reddit eorum vim retinens Mtth. V 37 «*Sit autem sermo vester, est, est, non, non!*» Eodem modo Ioh. III 8 «*spiritus ubi vult spirat: et vocem eius audis, sed non scis unde veniat aut quo vadat,*» quocum conferas Iuv. II 199/200: «*Hic ubi vult, quocumque volat vocemque per auras Iactat, sed nescis, quae sint exordia vocis*». Neque minus bene explicat versibus II 458/59 «*Sed vos arguto serpentum corde vigete, Simplicitate tamen dulces superate columbas*» Mtth. verba X 16 «*Estote sapientes sicut serpentes, et simplices ut columbae*». Sed praecipue in poeta aestimando nos semper memores esse oportet Iuvencum prin-

[1]) l. c. p. 111.

cipem, ut Hieronymi verbis utar, «*non pertimuisse evangelii maiestatem sub metri leges mittere*», quod ei magnae est laudi, quod epicae arti poeticae aperuit sanctam evangelii materiam. Omnibus temporibus fuerunt qui sive scientes sive nescientes Iuvenci vestigia sequerentur.

2. Nunc ad singula progrediamur. Quomodo Iuvencus quattuor evangelia versibus hexametris circumscripserit iam a Maroldo breviter disquisitum est in commentatione, cuius supra (p. 12) mentionem fecimus. **Iuvenco fundamentum narrationis epicae esse Sancti Matthaei evangelium inter omnes constat. Tamen alios evangelistas minime praetermittit; immo invenimus e Lucae et Iohannis evangeliis longiores locos sumptos.** Quin etiam carmen non incipit a Matthaeo, sed a Luca I 5. Sed quod Leimbachius[1]) dicit Marci evangelio omnino Iuvencum non usum esse, verum non est. Quamquam proprium honorem Marci evangelio Iuvencus non tribuit. Utitur illius evangelio ita ut alia evangelia suppleret.

a) Iuvencus verbis I 364 sq.:

«*Tum petit* . . . . et *lustra ferarum*
Obsequiumque illi patris praebere ministri
Certabant rapidi . . . .»

exprimit, quod Marcus evangelistarum solus dicit I 13: «et *erat cum bestiis et angeli ministrabant illi*». Itaque id, quod Maroldus[2]) scripsit haec verba a poeta ficta esse, falsum est, etiamsi verba «*lustra ferarum*» sumpta sunt e Vergili Georgicis II 471 « . . . . illic saltus ac *lustra ferarum*».

Nisi res ipsa, at narrationis ordo in versibus I 321—325:

Marcus I 5 = Mtth. III 5, 6	«*Ergo aderant populi passimque hinc inde ruentes* *Complebant ripas avidique lavacra petebant.*
Marcus I 6 = Mtth. III 4	*Texta camelorum fuerant velamina saetis* *Et zonae pellis medium cinxere profetam.* *Et tenuem victum praebent silvestria mella.*»

[1]) in: «*Realencyclopädie für protest. Theol. u. Kirche*» s. v. *Iuvencus IX, p. 664, 5:* «*Marcus hat er gar nicht benutzt*».

[2]) l. c. p. 335.

e Marco I 5, 6 petitus esse mihi videtur, apud quem legimus *Et veniebat ad illum omnis Iudaeae regio et omnes Ierosolymitae et baptizabantur ab illo in Iordane confitentes peccata sua (5). Erat autem Iohannes ipse indutus pilos cameli et zona pellicea circa lumbos eius, locustas et mel silvestre edebat*», cum apud Mtth. versus ita se excipiant III 4 «*Ipse autem Iohannes habebat vestimentum de pilis camelorum, et zonam pelliciam circa lumbos suos; esca autem eius erat lucustae et mel silvestre (4). Tunc exiebat ad eum Hierosolyma et omnis Iudaea et omnis regio circa Iordanem (5); et baptizabantur in Iordane ab eo confitentes peccata sua (6).*». Matthaei ergo versus 4 respondet Iuvenci versibus 323—325, Matthaei versus 5 et 6 respondent Iuvenco 321 et 322. Si autem quaerimus, cur Iuvencus Marci ordinem secutus sit, cognoscimus eum id fecisse eo consilio ut versus eleganter coniuncti sint cum antecedentibus.

Verba quae libri III. initium faciunt: «*Fuderat in terras roseum iubar ignicomus sol.*»[1]) adduntur a poeta. Reuschius commemorat ad hunc versum in editione sua notas Iodoci Badii Ascensii et Georgii Matthiae Koenigii, quorum alter dicit: «*Describit ortum solis, quasi postridie quam parabolas audierant, discipuli ad dominum accesserint (Bad)*», alter: «*Nihil tale apud Mtth. XIII 36 legitur. Adicit igitur Iuvencus hoc de suo (Koenig)*». Poeta ergo inter libri II. finem et III. initium fingit noctem. Vox autem «*serus*» II 829: *Inde domum repetit serus turbasque reliquit*» vestigia ostendere mihi videtur, quae Iuvencum ad illam fictionem poeticam duxerunt. Nam cum apud Mtth. XIII 36 nihil aliud legatur quam haec «*Tunc dimissis turbis venit in domum, et accesserunt ad eum discipuli eius dicentes . . . .*», legitur apud Marcum, cuius versus IV 33/34 congruunt cum Mtth. XIII 34, in versu 35: «*Et ait illis Iesus . . . , cum sero esset factum* (ὀψίας γενομένης): *Transeamus contra*», et 36: *dimittunt turbas . . . .*». Nunc autem narrat Marcus tempestatem marinam. Facillime tamen fieri potest, ut Iuvencus hoc loco Matthaei evangelium

[1]) In libri initio Iuvencus sequitur Verg. X 1 et XI 1.

cum Marco comparans, Marci verbis «*cum sero esset factum*» commotus sit ad vocem «*serus*» *II 829* et ad fictionem poeticam neque consideraverit Marci versibus sequentibus alia narrari ac Matthaei, apud quem discipuli nunc a Iesu petunt, ut sibi interpretetur similitudines, quibus in orationibus usus sit.

Similiter res se habet Iuv. II 43—73: Quamquam quae Iuvencus his in versibus tractat, praeter Marcum etiam Matthaeus et Lucas evangelistae memoriae tradunt, tamen Iuvencum non tam Matthaeum vel Lucam quam Marcum V 1—17 sequi puto; nam hoc quoque loco totus narrationis ordo magis Marco respondet. Ut quod dico quam facillime intellegatur, quattuor narrationes et Marci et Iuvenci et Matthaei et Lucae comparandi causa mihi iuxta sunt componendae.

V.	Marcus V	Iuvencus II	Matthaeus VIII	Lucas VIII
1	Et venerunt trans fretum maris in regionem Gerasenorum.	43: Iam Gerasenorum steterat sub litore puppis;	28: Et cum venisset trans fretum in regionem Gerasenorum	26: Enavigaverunt autem ad regionem Gerasenorum, quae est contra Galilaeam.
2	et exeunti ei de nave statim occurrit ei de monumentis *homo* in spiritu immundo.	44—46: Ecce sed egresso *iuvenis* — mirabile dictu — Occurrit, miseram cui mentem spiritus ater Immunda implebat laterans virtute furoris.	occurrerunt ei *duo homines* habentes daemonia de monumentis exeuntes	27: et cum exisset ad terram, occurrit illi *vir quidam* de civitate qui habebat daemonium (temporibus multis et vestimentum non induebatur)
3	qui domicilium habebat in monumentis. et neque catenis iam quisquam eum ligare poterat,	47—48: Illi grata domus tetris habitare sepulchris; Nec poterat rapidum quisquam retinere furorem,	saevi nimis, ita ut nemo possit transire per viam illam.	neque in domo manebat, sed in monumentis:
4	quoniam saepe compedibus et catenis vinctus disrupisset catenas et compedes comminuisset, (et nemo poterat eum domare).	49—52: Fortia quin etiam rumpebat vincula ferri Scindebatque graves ut lanea fila catenas. Et iam compedibus levis insultare solutis Ludus erat		29: . . . . alligabatur etenim catenis et compedibus ut custodiretur et disrumpebat vincula . . . .
5	(Et semper nocte ac die in monumentis et in montibus erat et clamans) et *concidens se lapidibus.*	52: Ludus erat *saxisque ferum concidere pectus.*		

6	Videns autem Iesum a longe cucurrit et adoravit eum	53—54: Isque ubi pergentem Christum per litora vidit,		28: Cum vidisset autem Iesum prostravit se ei et
7	et clamans voce magna dicit:	Cum clamore ruit longeque adcurrit adorans:	29: Et ecce clamaverunt dicentes:	exclamavit voce magna dicens:
7	Quid mihi et tibi Iesu fili dei summi?	55: Regnantis semper Domini certissima proles.	29: Quid nobis et tibi, fili Dei? (Venisti huc ante tempus torquere nos?)	28: Quid mihi et tibi est Iesus fili Dei altissimi? Obsecro te ne me torqueas.
10	Et deprecabatur eum multum, ne se expelleret extra regionem.	56—57: Oramus, ne nos solitae regionis ab oris Excutias longe tormentis excruciatos.		31: Et rogabant illum ne imperaret illis ut in abyssum irent.
9[1])	Et interrogavit eum: «quod tibi nomen est» et dicit ei «Legio mihi nomen est quia multi sumus».	58—59: Nam nomen Legio est nobis multosque sub uno Nomine consociat flatus vis sola nocendi.		30: Interrogavit autem eum Iesus: «Quid tibi nomen est?». At ille dixit: «Legio nomen est mihi»; multa enim fuerant daemonia.
11	Erat autem ibi circa montem grex porcorum magnus pascens.	60: Cernis ut immundi subigant haec pascua porci?	30: Erat autem non longe ab eis grex porcorum multorum pascens.	32: Erat autem ibi grex porcorum multorum pascentium:
12	(Et deprecabantur eum spiritus dicentes): «mitte nos in porcos, ut in eos introeamus».	61: His saltem liceat rabiem satiare repulsam,	31: Daemones autem rogabant eum dicentes: «Si eicis nos, mitte nos in gregem porcorum».	et rogaverunt illum, ut in porcos introirent . . . .

[1]) Versus Mc. V 8 «dicebat enim illi» «exi spiritus immunde ab homine» Iuvenco est praetermittendus, quod illo versu verba versus 7 «Quid mihi et tibi est . . . ? adiuro te per deum, ne me torques» quae neglexit, argumenta confirmantur.

V.	Marcus V	Iuvencus II	Matthaeus VIII	Lucas VIII
7	. . . . ? adiuro te per Dominum	62: Per patris altithroni nomen sublime rogamus.		28: . . . . ? Obsecro te . . . .
13	Et concessit eis Iesus statim et exeuntes spiritus immundi introerunt in porcos. et magno impetu grex praecipitatus est in mare. (Erant autem quasi duo milia et) suffocati sunt in mari.	63—68: Imperat his hominis mentem dimittere Christus Porcorumque sinit gregibus finire furores. Et iam praecipites scopulorum margine porci In mare coniecti properant disperdere vitas.	32: Et ait illis: «Ite». At illi exeuntes abierunt in porcos, et ecce impetu abiit totus grex per praeceps in mare: et mortui sunt in aquis.	32: . . . . et permisit illis. 33: Cum exissent autem daemonia ab homine, introierunt in porcos: et impetu abiit grex porcorum per praeceps in mare et suffocati sunt.
14	Qui autem pascebant eos fugerunt. et nuntiaverunt in civitates et in agros. et egressi sunt videre quid esset factum.	69—71: At vero e speculis miracula tanta paventes Diffugiunt urbisque ruunt ad tecta subulci Et famam accendunt populosque ad litora cogunt.	33: pastores autem fugerunt: et venientes in civitatem nuntiaverunt omnia et de his qui daemonia habuerant.	34: Cum vidissent autem qui pascebant quod factum est, fugerunt et nuntiaverunt in civitate et in agris. 35: exierunt autem videre quod factum est . . . .
15	et veniunt ad Jesum et vident hominem illum, qui a daemonio vexabatur sedentem vestitum et sanae mentis et timuerunt.	72—[73]: Insanum vero iuvenem postquam resipisse [Credere cernentum populorum turba coacta est,]	34: et ecce tota civitas exiit obviam Iesu: et viso eo	et venerunt ad Iesum et invenerunt hominem sedentem a quo daemonia exierant, vestitum et sana mente ad pedes Iesu et timuerunt.

16	et narraverunt illis hi qui viderant qualiter factum esset ei qui daemonium habuerat et de porcis.	deest. Mc. V 15	deest.	36: Nuntiaverunt enim illis qui viderant quomodo sanus esset factus;
17	Et rogare eum coeperunt ut discederet de finibus eorum.	75: Orabant pavidi, regionem linquerent illam	34: .... rogabant ut transiret a finibus eorum.	37: et rogaverunt Iesum omnis multitudo regionis Gerasenorum ut discederet ab eis; timore enim magno continebantur.

Iuvencum hoc loco Matthaeum evangelistam non sequi ex eo quoque effici puto, quod Matthaeus «*duo homines daemonia habentes*» commemorat, cum Marcus et Lucas unum commemorent. Sed Iuvencum hic etiam Lucae evangelium non sequi puto propterea quod versuum ordo, quem ille adhibuit, valde ab Iuvenco transmutatus esset, cum Marci narrationis ordo paene congruat cum Iuvenco. Deinde Iuvencum hoc loco non uti Luca ex eo quoque concludo, quod non habet rationem eorum quibus Lucas discrepat cum Marco vel quae Lucas plura habet quam Marcus. Veluti Lucae versus 31 «*venerunt daemonia multa et rogabant illum ne imperaret illis ut in abyssum irent*» discrepat cum Mc. v. 10 «*.... et deprecabatur eum multum, ne se expelleret extra regionem*», quibus cum consentiunt Iuvenci verba 56/57: «*Oramus, ne nos solitae regionis ab oris Excutias* . . . .» Nihil autem de eo legitur apud Mc., quod Lucas in v. 27 dicit «. . . . *qui habebat daemonium iam temporibus multis et vestimentum non induebatur* . . . .» Magni autem momenti est Marc. v. 5 «. . . . *concidens se lapidibus*» = Iuv. v. 52 «*ludus erat saxisque ferum concidere pectus*», de quibus nihil legitur neque apud Lucam neque apud Matthaeum. Quod Iuvencus hoc loco Marci narrationem praeponit Matthaeo, Marcianam carmini epico magis esse idoneam

putasse mihi videtur, quod eius narratio est accuratior quam Lucae.

Alii loci quibus Iuvencum Marco usum esse puto, ut alterius evangelistae narrationem suppleret, sunt hi:

Quamvis versus Iuv. II 757 «*Ille sed amota credentum plebe profatur*» compositus sit secundum Mtth. XIII 11 «*Quibus respondens ait* . . . .», tamen apud illum nihil legitur *plebem esse amotam*. Marci versu IV 10 qui huic Matthaei versui respondet inspecto legimus «*et cum esset singularis, interrogabant* . . . . *et ait illis*». Dubium non esse puto quin Iuvenci verba «amota plebe» originem traxerint e Marco «*cum esset singularis*» (ὅτε ἐγένετο κατὰ μόνας); neque enim Lucas VIII 9 quicquam habet simile.

Ita res se habet Iuv. II 819. Quamquam enim Iuvencus in fine libri illius narrationem ad Mtth. accommodat, tamen in versu 819:

«. . . . *ramis ut plumea turba*
Conludat possitque umbras habitare virentes»

Mc. IV 32 sequi mihi videtur, quod quidem attinet ad verba «*umbras habitare virentes*», apud quem legimus «*at ubi creverit, fit maius omnibus oleribus et facit ramos magnos, ita ut sub umbra eius aves caeli inhabitare*», cum Mtth. tantum dicat XIII 32: «. . . *ita ut volucres caeli veniant et habitent in ramis eius*». Similiter legitur apud Lc. XIII 19 «. . . . *et volucres caeli requieverunt in ramis eius*». Verba «*umbras habitare*» minime esse Iuvenci inventionem poeticam puto.

In Iuvenci versu III 500 «*Accedit Christumque palam submissus adorat*» verba «*palam submissus*» spectare puto ad Mc. X 17 «*et cum* . . . . *unus ad genuam eius se volvens* (γονυπετήσας); nam apud Mtth. XIX 16, cui ille Iuvenci versus 500 et qui antecedunt 498 et 499 et qui sequuntur 501 et 502 respondent, nihil legitur hominem illum «*ad genuam Christi se volvisse.*»

Alios locos nisi quos supra commemoravi ad Marcum non redire existimo.

b) **Sicut Iuvencus Matthaei evangelium quasi narrationis fundamentum habens occasione data**

Marcum supplendi causa adhibet, ita interdum Lucam et Iohannem. Omittimus longiores locos quos ex utroque petit. Haec duo gravissima commemoro:

Quamquam Iuvencus III 636 sq. Mtthm. XXI 8 sequitur, tamen in v. 638 «*Proxima tunc alii spoliant palmeta virore*» mentio «*palmetorum*» exorta esse mihi videtur ex Ioh. XII 13: «*acceperunt sibi ramos palmarum* . . . .»; nam Mtth. l. c. tantum dicit: «*alii autem caedebant ramos de arboribus*». Ita quoque tradit Mc. XI 8 «*alii autem frondes caedebant de arboribus*». Apud Lc. XIX 36 nihil aliud legitur nisi: «*Eunte autem illo substernebant vestimenta sua in via*».

Nihil de eo quod Iuvenci versus IV 616/17 continent:

«*Qui regis nomen cuperet, qui Caesaris hostem*
Confessus sese proprio damnaverit ore.»,

occurrit apud Mtth. XXVII 23, quem Iuvencus usque ad v. 615 sequitur et ad quem statim revertitur in v. 618 et q. s. Unde ergo Iuvencus versuum (616/17) argumentum sumpsit? Neque apud Mc. neque apud Ioh. invenimus verba quae cum Iuvenco congruunt; si autem Lucas evolvitur, legitur XXIII 2: «*Hunc invenimus . . . . et prohibentem tributa dari Caesari et dicentem se Christum regem esse*», quae verba e Luca inserta esse manifestum est.

c) **Quibus omnibus exemplis satis demonstratur Iuvencum certum evangelistam praecipue Matthaeum, carminis sui fundamentum sequi, ita tamen ut interdum ea quae apud Mtth. aut desunt aut brevibus verbis narrantur, ab aliis evangelistis petat.** Itaque statim hoc nobis in mentem venit Iuvencum carmen suum composuisse adiutum «*harmonia*» quae dicitur «*evangeliorum*». Talem harmoniam quamvis prosaicam et graecam iam multis annis prius exstitisse quam Juvencus carmen suum componeret discimus ex Eusebii «*historia ecclesiastica*» IV 29, 6: «ὁ μέντοι γε πρότερος αὐτῶν (sc. τῶν καλουμένων Ἐγκρατέων IV 29, 2) ἀρχηγὸς ὁ Τατιανὸς συνάφειάν τινα καὶ συναγωγὴν οὐκ οἶδ' ὅπως τῶν εὐαγγελίων συνθεὶς τὸ διὰ τεσσάρων τοῦτο προσωνόμασεν, ὃ καὶ

παρά τισιν εἰσέτι νῦν φέρεται. τοῦ δὲ ἀποστόλου φασὶ τολμῆσαί τινας αὐτὸν μεταφράσαι φωνὰς, ὡς ἐπιδιορθούμενον αὐτῶν τὴν τῆς φράσεως σύνταξιν». Tamen Iuvencum tali harmonia usum esse demonstrari non potest, cum nulla nobis sit conservata.

d) Etiamsi Gebserus[1]) et Leimbachius[2]) iam paucis demonstraverunt, quomodo singulae evangelistarum narrationes respondeant versibus Iuvenci et quos locos omiserit Iuvencus, ego tamen idem pluribus demonstrabo, cum illorum ratio mihi non satis perspicua esse videatur.

Iuvenci liber I. incipit ut iam supra (p. 15) diximus a Lc. I 5:

Evangelista.	**Iuvencus.** **Liber primus.**
Lc. I v. 5—80 = sed Iuv. praetermittit 1—4 (praefatio), 12, 25, 29, 49, 50, 51, 54, 55, 61, 63, 65, 66, 78, 79	**1—132** Gabrielis nuntius ad Zachariam et ad Mariam allatus[3]) vv. 1—79 = Lc. I, 5—38; Maria et Elisabeth 80—93 = Lc. I 39—45; Mariae hymnus 94—104 = Lc. I 46—56; Iohannes baptista nascitur 105—112 = I 57—62; Zachar. vaticinatur 113—129 = I 64—77; Ioh. adolescit 130—132 = I 80;
Mtth. I 19, 20, 24 = Iuv. omittit 21, 22, 23	**133—143** Iosepho dormienti apparet nuntius;
Lc. II 1—39 = Omittuntur 17, 19, 25	**144—223** Census 144—154 = Lc. II 1—5, 7; Iesus Bethleem nascitur 155—157 = II 6, 7; Angeli et pastores 158—180 = II 8—20; Infans circumciditur et deo sistitur 181—188 = II 21—24; Simon et Anna 189—220 = II 26—38; Maria et Ioseph revertuntur in patriam 221—223 = II 39;

Versus 224—226 sunt a poeta ipso adiecti.

---

1) l. c. p. 33.

2) *Realenzyklop. f. prot. Theol. u. Kirche vol. IX s. v. «Iuvencus»* p. 663, 31—664, 5.

3) Singularum partium indices magnam partem sumpsi e Tischendorf, Nov. test. gr., ed. ac.

Evangelista.	Iuvencus.
	Liber primus.
Mtth. II 1—23 = Iuv. omittit versus: 3, 5, 7, 13, 20, 21, 22; versus 15 transponitur post v. 23.	**227—277** Magi ex oriente 224—254 = Mtth. II 1, 2, 4, 6—12; Fuga in Aegyptum 255—256 = II 14; Caedes Bethleemitica 257—270 = II 16—18 (16); Reditus ex Aegypto 271—277 = II 19, 23, 15;
Lc. II 40—51 = Iuv. omittit v. 52.	**278—306** Iesus adolescit 278—280 = Lc. II 40; Puer duodennis in templo 281—301 = II 41—49; Maria et Ioseph non intellegunt verba Iesu et revertuntur Nazareth 302—306 = II 50, 51;
Lc. III 1—6 = I. omittit v. 2.	**307—320** Iohs. prodit docens poenitentiam
Mtth. III 4—17 =	**321—363** Pergit poeta describens Iohannem in deserto morantem et praedicantem { 321—325 = Mtth. III 5, 6, 4 vel Marc. I 5, 6 { 326—345 = Mtth. III 7—12; Iesus a Iohanne baptizatur 346—363 = III 13—17;
Mtth. IV 1—25 —	**364—451** Iesus temptatur ter a diabolo 364—408 = Mtth. IV 1—11; Ex Nazareth Carphanaum migrat 409—420 = Mtth. IV 12—17; Vocat duo piscatorum paria 421—434 = IV 18—22; Peragrat Galilaeam 435—451 = IV 23—25;
Mtth. V 1—48; VI 1—34; VII 1—29 = omittuntur a Iuvenco hi versus V 15, 20, 47; VI 15; VII 7, 10;	**452—730** Iesus in monte orationem habet. Christianorum beatitudines 452—471 = Mtth. V 1—12; Discipuli sal terrae et lumen mundi 472—482 = V 13—16;

Evangelista.	Iuvencus.
	Liber primus.
	Legis divinae vera ratio 483—495 = V 17—19; De homicidio, reconsiliatione, adulterio, divortio, iureiurando, talione, amore mutuo 496—572 = V 21—48; de erogatione stipis 573—579 = VI 1—4; de precatione 580—588 = VI 5—8; Pater noster 589—603 = VI 9—14; de ieiunio 604—610 = VI 16—18; de divitiis veris vanisque curis 611—654 = VI 19—34; A iudicando et obtrudendo abstinendum 655—667 = VII 1—6; Precandum cum plena fiducia 668—678 = VII 8—12; Via salutis et perniciei 679—689 = VII 13—14; Cavendum a falsis doctoribus 690—714 = VII 15—23; Sapientia audiendi 715—727 = VII 24—27; Populus Christi verba admiratur 728—730 = VII 28, 29;
Mtth. VIII 1—16 = I. omittit v. 7.	**731—770** Iesu sanat leprosum 731—740 = Mtth. VII 1—4; Sanat paralyticum centurionis servum 741—766 = VIII 5—13; Sanat socrum Petri 767—770 = VIII 14, 15.
	Liber secundus.
Mtth. VIII 16—27 = omittuntur v. 17, 28—34.	**1—42** Iesu sanat alios 1—10 = Mtth. VIII 16; Navem conscendi iubet 10—12 = VIII 18; Iesu et scriba 12—18 = VIII 19—20; Iesus et discipulus 19—24 = VIII 21, 22; Oritur tempestas marina et Iesus sedat eam 25—42 = VIII 23—27;
Marcus V 1—17 = omittuntur v. 5, 8, 15.	**43—74** Expellit Gerasenorum daemoniacum;

Evangelista.	Iuvencus.
	Liber secundus.
Mtth. IX 1—9 =	**75—98** Sanatur paralyticus Carphanaum 75—94 = IX 1—8; Vocatur Matthaeus = IX 9;
Ioh. I 44—51; II 1—23; III 1—21; IV 3—53 = omittuntur versus I 1—42, 44; II 12, 17, 24, 25; III 7, 22—36; IV 1, 2, 24, 37, 39, 44, 45, 54.	**99—346** Vocantur Philippus et Nathanahel 99—126 = Ioh. I 43—51; Canae ex aqua vinum factum 127—152 = II 1—11; Templi purgatio 153—162 = II 13—16; De templo tribus diebus restituendo 163—176 = II 18—23; Colloquium nocturnum cum Nicodemo a Jesu habitum 177—242 = III 1—21; Iesus in Galilaeam revertitur et habet colloquium cum muliere Samaritana de aqua viva veroque cultu 243—310 = IV 3—34; Messis 311—320 = IV 35—38; Samaritarum fides 321—327 = IV 40—42; Absens sanat filium ministri regii Carphanaitici 328—346 = IV 43—53;
Mtth. IX 10—38; X 1—40; XI 1—30; XII 1—37 = omittuntur IX 26, 34, 35; X 2, 3, 4, 30, 36, 38, 41, 42; XI 16—24, 26; XII 16—21, 23, 27, 28, 33.	**347—636** Iesu cenat in Matthaei domo 347—360 = IX 10—13; Discipuli Iesu non ieiunantes 361—376 = IX 14—17; Filia Iairi rediviva et mulier sanguine fluens 377—407 = IX 18—25; Duo Caeci 408—416 = IX 27—31; Mutus 417—420 = IX 32—33; Messis multa et messorum paucitas 421—429 = IX 36—38; Apostolorum duodecim institutio et legatio, futurae calamitates et praemia 430—508 = X 1, 5—40; Discipuli Iohannis ad Christum legati 509—525 = XI 1—7; Iesu de Iohanne dicit ad populum 526—547 = XI 8—15;

Evangelista.	Iuvencus.
	Liber secundus. Patrem celebrat, afflictos ad se vocat 548—560 = XI 25—30; Sabbato discipuli spicas vellunt et arida manus sanatur 561—598 = XII 1—14: Mansuetudo sanatoris 599—601 = XII 15; Daemoniacus sanatur coram Pharisaeis 602—**624** = XII 22—**31**; Peccatum in spiritum sanctum **624**—636 = XII **31**—37;
Ioh. V 19—46 = omittuntur 1—18, 33—35, 42, 47.	**637—691** De filio et patre mortuos suscitantibus 637—654 = V 19—30; De baptistae, dei, Mosis testimoniis 655—691 = V 31—46;
Matth. XII 38—50; XIII 1—36[1] = omittuntur XII 47,48; XIII 29.	**692—829** Signum Ionae 692—706 = XII 38—41; Exempla reginae austri et daemoniaci 707—724 = XII 42—45; Matris fratrumque interpellatio 725—732 = XII 46, 49, 50; Parabola de seminatore et vario agro 733—754 = XIII 1—9; Parabolicae institutionis causa 755—774 = XIII 10—17; Parabolae: de bono semine 775—794 = XIII 18—23; de zizaniis 795—811 = XIII 24—30; de grano sinapis 812—819 = XIII 31—32; de fermento 820—823 = XIII 33; prophetae verba et Iesus redit domum 824—829 = XIII 34—36.
Matth. XIII 36—58; XIV 1—36; XV 1—39; XVI 1—28; XVII 1—26; XVIII 1—35; XIX 1—30; XX 1—28; XXI 1—43; XXII 2—14 = omittuntur XIII 40, 44—52; XV 5, 6, 33; XVI 7; XVII	**Liber tertius.** v. 1 adiecto poetica. **2—773** Iesus explicat discipulis parabolam «de zizaniis factum» 2—16 = XIII 36—43;

[1]) Haud recte dicit Leimbachius l. c. p. 663, 52/53: Matthaei versum XIII 33 facere finem Iuvenci libri II. (*«Unter Auslassung von Mtth. XI 16—24 erzählt er nach dsm. Evangelisten bis zum V. 33 ds. 13. Kapitels u. endet da sein zweites Buch»*).

Evangelista.

13, 21, 22; XVIII 5, 8, 9, 11, 18, 19, 29, 33; XIX 17; XX 9, 29—34; XXI 11, 12, 13, 42, 44—46; XXII 1.

Iuvencus.

Liber tertius.

Propheta domi contemptus 17—32 = XIII 53—58;

Caedes Iohannis Baptistae 33—69 = XIV 1—12;

Quinque hominum milia satiantur 70—92 = XIV 13—21;

Iesus cum Petro super mare incedens 93—126 = XIV 22—30;

Aegroti lactu sanati 127—132 = XIV 34—36;

De manuum lotione, traditionis abusu, vera contaminatione 133—175 = XV 1—20;

Mulieris Chananaeae filia aliique aegroti sanantur 176—203 = XV 21—31;

Quattuor hominum milia cibantur 204—219 = XV 32—38;

Iesus venit in Magedae regionem 220 = XV 39;

Signa temporum 221—236 = XVI 1—4;

Fermentum Pharisaeorum 237—256 = XVI 5—12;

Varia de Iesu iudicia 257—268 = XVI 13—14;

Petri confessio et honos 269—289 = XVI 15—20;

Christus mortem suam praedicit 290—295 = XVI 21;

Petrus vituperatur a Christo, quod prohibiturus est quominus is in mortem eat, et omnes admonentur ad studium crucis 296—315 = XVI 22—28;

Transfiguratio in monte facta 316—352 = XVII 1—12;

Sanatio lunatici apostolorumque diffidentia 353—380 = XVII 14—20;

Stater ex pisce sumptus 381—395 = XVII 23—26;

Cavenda ambitio et offensio 396—409 = XVIII 1—10;

Parabola, quā agitur de ove perdita 410—418 = XVIII 12—14;

De peccante fratre 419—429 = XVIII 15—17;

Evangelista.	Iuvencus.
	Liber tertius (reliqua pars).
	Apostolorum potentia 430—432 = XVIII 20;
	Quotiens sit ignoscendum 433—436 = XVIII 21, 22;
	Parabola de computantibus rege et servo 437—458 = XVIII 23—35;
	Responsio de repudio et eunuchis a Christo discipulis data 459—491 = XIX 1—12;
	Manus infantibus imponit 492—497 = XIX 13—15;
	Iuvenis dives vitam aeternam appetens 498—520 = XIX 16—22;
	Divitiarum pericula 521—526 = XIX 23—24;
	Futura discipulorum praemia 527—549 = XIX 25—30;
	Parabola de mercede operariorum facta 550—583 = XX 1—16;
	Iesus iterum mortem suam praedicit 584—589 = XX 17—19;
	Mater filiorum Zebedaei 590—613 = XX 20—28;
	De novissimo, non primo, convivi loco eligendo 614—621 = XX 28;
versus 1—7 transponuntur a poeta ita: 1, 2, 3, 6, 7, 4, 5;	Asina cum pullo adducta 622—635 = XXI 1—7;
	Solemnis ingressio urbis 636—652 = XXI 8, 9, 13, 14, 15, 16;
	Ficus 653—661 = XXI 17—20;
	Potestas fidei 662—673 = XXI 21—22;
	De Iohannis baptismate 674—691 = XXI 23—27;
	Parabolae: de duobus filiis in vinetam missis et de vinitoribus heredem necantibus 692—736 = XXI 28—41, 43;
	Parabola de nuptiis regiis facta 737—774 = XXII 2—14;
	Liber quartus.
Mtth. XXII 15—16; XXIII 1—37; XXIV 1—51; XXV 1—46 =	**1—305**
omittuntur XXII 19, 22, 31, 33, 34, 41, 44; XXIII 5, 10, 11, 14, 16—26, 29—36;	De tributo Caesaris 1—13 = XXII 15—21; de uxore septem fratrum 14—37 = XXII 23—32;

Evangelista.	Iuvencus.
	Liber quartus.
XXIV 12, 23, 28, 32, 33, 37;	de summa lege 38—44 = XXII 35—40; de Christo Davidis filio 45—50 = XXII 42—43, 45, 46; Castigat Ies. Pharisaeorum simulationem, ambitionem, vanas argutias 51—77 = XXIII 1—28; Hierosolyma prophetarum interfectrix 78—85 = XXIII 37, 38; de urbis interitu et consummatione saeculi 86—137 = XXIV 1—22; Signa adventus Christi 138—184 = XXIV 24—44; Vigilandum est instar boni servi 185—196 = XXIV 45—51; Parabolae: de decem virginibus 197—226 = XXV 1—13; de talentorum usu 227—258 = XXV 14—30; De supremo Christi iudicio 259—305 = XXV 31—46;
Ioh. XI 1—46 = omittuntur 6, 7, 8, 9, 10, 18, 30, 36, 37, 47—56. versus 1—5 ita transponuntur: 3, 2, 5, 3, 1, 4.	**306—402** Lazarus moritur et in vitam revocatur.
Mtth. XXVI 3—75; XXVII 1—66; XXVIII 1—20 = omittuntur XXVI 1, 2, 19; XXVII 4, 7, 17, 18, 36, 56; XXVIII 14, 15.	**403—801** Passio Domini nostri Iesu Christi. Sacerdotum consilium 403—408 = XXVI 3—5; Femina ungens 409—421 = XXVI 6—13; Iudae pactio 422—427 = XXVI 14—16; Cena ultima 428—456 = XXVI 17—29; Petri confidentia 457—477 = XXVI 30—35; Iesu in horto 478—510 = XXVI 36—46; Iudas prodit Iesum et Iesus capitur 511—536 = XXVI 47—56; Iesus ad Caiapham ducitur et illuditur 537—569 = XXVI 57—68; Petri lapsus et poenitentia 570—585 = XXVI 69—75;

Evangelista.	Iuvencus.
	Liber quartus (reliqua pars).
	Iesu coram Pilato ductus Barrabbae posthabitus damnatur 586—625 = XXVII 1, 2, 11—26;
Versus 616/17 respondent Lucae v. XXIII 2 (cf. pag. 23.) Versus XXVII 1—30 ita transponuntur: 1, 2, 11—26, 3—10, 27—30.	Iudae sera poenitentia 626—641 = XXVII 3—10;
	Iesus illuditur 642—649 = XXVII 27—30;
	Iesus ducitur in Golgatha montem et cruci affigitur 650—700 = XXVII 31—49;
	Ies. moritur et portenta post mortem facta 701—713 = XXVII 50—54;
	Ies. sepelitur a Ioseph ab Arimathia 714—726 = XXVII 55—61;
	Custodia 727—742 = XXVII 62—66;
	Resurrectio 743—751 = XXVIII 1—4;
	Angelus et mulieres 752—775 = XXVIII 5—10;
	Custodes corrupti 776—783 = XXVIII 11—13;
	Ultima ad discipulos mandata 784—801 = XXVIII 16—20.

e) Ars et fides, quibus Iuvencus materiam sanctam versibus commisit, ei sunt laudi. Etsi Iuvencus fide prohibitus est res ab evangelistis traditas mutare, tamen veritus non est interdum facere **mutationes**, quae res ipsas sanctas non violant. Hae **mutationes** cernuntur vel in **praetermissionibus** et in **detractionibus** vel in **additamentis** et **amplificationibus** vel in **transpositionibus** vel in **aliis rebus.**

Primum agam de **praetermissionibus:**

Supra (p. 24—32) demonstravi Iuvencum et plures deinceps versus et singulos evangelistarum in carmine suo neglegere. Quibus ex causis Iuvencus neque hos neque illos versus tractaverit, raro cognoscere possumus. Verisimillima est causa, quam Maroldus affert, cur Iuvencus carminis initum non a Mtth. capite I. ceperit. Matthaei evangelii caput I. continet genealogiam Iesu Christi. Duobus ex causis Iuvencus hanc genealogiam versibus non explicavit, et quod propter tot nomina propria difficilis neque idonea erat et quod Iuvencus timebat, ne Romani hac non modo non delectarentur, sed offenderentur ut

Maroldus[1]) optime disseruit, cuius verba haec sunt: „*Die Genealogie stellte in zu ostentativer Weise den Heiland als zum jüdischen Volke gehörig dar, ein Römer aber, der seiner Nation ihn als Stifter der christlichen Religion darstellen und sie für ihn begeistern wollte, hätte sie vielmehr dadurch zugleich zurückgestoßen.*“ Ut fides verba sequatur, affert Maroldus alia exempla quae praetermitto.

Ex eadem causa, qua Iuvencus Iesu Christi genealogiam omittit, praeterit interdum **eos quoque locos, quibus antiquorum prophetarum verba ab evangelistis citantur,** quibus illi monstrent Iesu Christi facta congruere cum prophetarum Iudaeorum vaticiniis, Christum ergo esse re vera Messiam promissum. Sed puto poetam hoc eo quoque consilio fecisse, ne narrationem interrumperet locis, quibus minime ad versus intellegendos opus est et qui praeterea ab evangelista ipso, ut iam dixi, confirmandi causa additi sunt. Quod dixi argumentis confirmetur:

Versu VIII 16 prodit Matthaeus Iesum, ut Iuvenci verbis II 4, 5 utar, «*multos homines mentis languore ruentes Devinctosque animam furibunda daemonis arte*» curavisse et adicit in v. 17 «*ut adimpleretur quod dictum est per Esaiam prophetam dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit et aegrotationes nostras portavit*». Iuvencus autem hunc versum 17 praeteriens pergit post Mtth. v. VIII 16 statim cum v. 18.

Idem observatur in Mtth. vv. XII 16—21, qui continent Esaiae vaticinium «*ut impleretur quod dictum erat per Esaiam prophetam dicentem . . . .*» Sed cum vaticinium ab evangelista ipso, non a Christo verbis inseratur, Iuvencus id non respicit. Desideratur post v. II 601.

Postquam Iuvencus IV 660—664 explicavit versus Mtth. XXVII 35 verba «*postquam autem crucifixerunt eum, diviserunt vestimenta eius sortem mittentes*», omittit verba sequentia, quae e psalmate (68, 22) orta sunt, «*ut impleatur quod dictum est per prophetam: Diviserunt vestimenta mea sibi et super vestem meam miserunt sortem*». Sed hic

[1]) l. c. p. 331.

locus minore auctoritate est dignus, quod illa prophetae verba nonnullis in codicibus latinis omittuntur, veluti in Corbeiensi priore (ff[1]). Et illa verba et nonnulli versus haud scio an apud Iuvencum desint, quod in libro latino, quem Iuvencus in manibus habebat, defuerunt.

Sed non solum tales annotationes ab evangelista e testamento vetere ductas neglegit, sed etiam **additamenta explicantia, quae evangelistae orationibus aut narrationibus inseruerunt.**

Veluti dicit Ioh. I 44 explicandi causa «*erat autem Philippus a Bethsaida civitate Andreae et Petri*», quae verba Iuvencus omittit post v. II 100.

Apud eundem evangelistam legitur II 9 interpositio «*ministri autem sciebant, qui hauriebant aquam*», quae a Iuvenco praetermittitur.

Eadem ex causa omittuntur versus Mtth. XVII 13 «*Tunc intellexerunt discipuli eius, quia de Iohanne dixit illis*», et Ioh. XI 18 versus «*erat autem Bethania iuxta Hierosolymam fere a stadiis quindecim*»; versus prioris verba desiderantur apud Iuv. inter versus III 351 et 352, alterius post v. IV 335.

Iuvencus has annotationes omisisse mihi videtur primum quia ad locum intellegendum iis opus non erat, deinde quod idoneae non erant, quae verterentur.

Poetae sunt versus praetermittendi, ne contextus violetur.

Desiderantur apud Iuv. post v. IV 402 Mtth. versus XXVI 1 et 2 «*Et factum est, cum consummasset Iesus sermones hos omnes, dixit discipulis suis* (1): *Scitis quia post biduum pascha fiet, et filius hominis traditur, ut crucifigatur* (2)». Quoniam Iuvencus post v. Mtth. XXV 46 = Iuv. IV 305 inseruit Ioh. XI 1—46, quibus versibus Lazarum mortuum a Iesu in vitam revocari narratur, poetam illis versibus XXVI 1 et 2 non iam uti potuisse apparet; nam versibus Ioh. XI 1—46 intermissis Mtth. versus XXVI 1 et 2 nihil habet, ad quod pertinent. Itaque poetam pergere cum Matth. XXVI 3 necesse est.

Versu praetermisso, quocum alii cohaerent, hi alii Iuvenco sunt praetermittendi.

Cum Iuvencus Ioh. v. III 22 (*Post haec venit Jesus et discipuli eius in Iudaeam terram: et illic demorabatur cum eis et baptizabat*) non respiciat, ei praetermittendi sunt versus quoque Ioh. IV 1 et 2 (*Ut ergo cognovit Iesus, quia audierunt Pharisaei, quia Iesus plures discipulos facit et magis baptizabat quam Iohannes* (1), *quamquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius* (2)), qui redeunt ad Ioh. III 22.

Quoniam Iuvencus Mtth. versus XXI 42 (*Ait ad illos Iesus: Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli*) rationem non ducit, versum quoque 44 (*et qui ceciderit super lapidem istum confringetur: super quem vero ceciderit, conteret eum*) omitti necesse erat.

Iuvencum versus praeteriisse puto quia **versui hexametro haud idonei erant,** praecipue eos versus, qui multa nomina propria continent:

Intelleximus hanc fuisse unam de duabus causis quibus permotus Iuvencus Mtth. caput primum praetermisit. Maroldus affert alterum exemplum, Mtth. X 2—4, in quo insunt nomina discipulorum Iesu. Idem intellegitur e Mtth. XXVII 56 et 61.

Iuvencus fugit plerumque **repetitiones unius eiusdemque rei.** In bibliis sacris et ipso in evangelio uno saepissime unum idemque repeti nemo est qui neget. — Cum fieri non possit, ut omnia exempla afferam, e tanto numero pauca gravissima proferam:

Lucae v. II 52 (*Iesus proficiebat aetate et sapientia et gratia apud deum et homines*) Iuvencus non iam respicit, quod Lc. v. II 40, in quo idem fere legitur (*puer autem crescebat et confortabatur sapientia et gratia domini erat cum illo*), in vv. I 278—280 explicavit.

Matthaeus memoriae tradit duobus locis verba, quibus Christus discipulis suis potestatem peccatorum solvendorum aut ligandorum tribuit, et XVI 19 et XVIII 18. Iuvencus cum versum XVI 19 explicaverit III 284—287, praeterit locum XVIII 18, qui quaerendus est post v. III 429.

Post Iuvenci v. III 640 = Mtth. XXI 10 desideramus Mtth. versus XXI 12 et 13, quibus narratur, quomodo Christus mercatores templo expellat. Iuvencum illos versus omisisse apparet, quod hanc narrationem iam secundum Ioh. II 14—16 = Iuv. II 155—162 tractavit.

In sermone hebraico figura exstat «*membrorum*» qui dicitur *parallelismus*», quae saepissime occurrit in grandi sermone librorum veteris testamenti. Sed etiam Christus adhibet hanc figuram in orationibus. Praeclare describit Fr. Buhlius[1]) eam his verbis: «*Die reinste Form des Parallelismus liegt vor, wo der Inhalt eines nicht zu langen Satzes in variierter Form wiederholt wird, so daß der zweite Satz wie ein Echo des ersten klingt — der sog. synonyme Parallelismus*». Neque autem Iuvencus obtinet hanc figuram. Exemplis demonstretur:

Versuum Mtth. VII 7 et 8, qui eandem cogitationem continent, «*petite et dabitur vobis, quaerite et invenietis; pulsate et aperietur vobis (7). Omnis enim, qui petit, accipit; et quaerit, invenit; et pulsanti aperietur (8)*». Iuvencus tantum versum 8 respicit I 668/69.

Eodem modo agit Iuvencus, cum evangelista exprimit unam eandemque sententiam et positive et negative. Nihil aliud obtinet nisi **sententiam aut positivam aut negativam:**

Veluti apud Mtth. VI 14/15 legimus «*si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater caelestis delicta vestra* (14). *Si autem non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra* (15)», unam eandemque ergo sententiam et positive et negative expressam; sed Iuvenco sufficit sententia positiva I 601—603.

Ita res se habet Ioh. V 46/47 «*si enim crederitis Moysi, crederitis forsitan et mihi; de me enim ille scripsit* (46). *Si autem illius litteris non creditis, quomodo verbis meis*

---

[1]) in: *Realenzyklopädie f. prot. Theol. u. Kirche IV p. 626 et 633 s. v. «Dichtkunst»*.

credetis? (47)»; sed Iuvencus retinet tantum sententiam positivam II 690/91:

«*Eius enim scriptis vester si crederet error,*
Crederet et nobis, Moysi quam scripta frequentant.»

Ut Iuvencus totos versus omittit, ita amputat interdum versus, cum praeterit **sententias eorum singulas.** Has praetermissiones appello **detractiones,** quarum numerus est magnus; tamen non tanti esse puto, ut omnes significem.

Quod Iuvencus Mtth. XXVI 56 sententiam priorem «*Hoc autem totum factum est, ut adimplerentur scripturae prophetarum*» non respicit, facit eo consilio ut repetitionem fugiat, cum haec verba nihil aliud dicant nisi quod versus antecedens XXVI 54: «*Quomodo ergo implebuntur scripturae prophetarum, quia sic oportet fieri?*», quem versum Iuvencus reddit IV 530: «*Sed scriptura meis complenda est debita rebus*».

Illis **detractionibus,** quae ad **singulas sententias** spectant, opponuntur, quae ad **rem ipsam** spectant, ex quibus ipsis optime intellegitur Iuvenci carmen nihil aliud esse nisi circumlocutionem poeticam vel ut graece dicam παράφρασιν.

Saepissime Iuvencus eis locis quibus «*membrorum parallelismi*» figura exstat nihil aliud reddit nisi quod evangelistae versus continent. Reddit igitur non tam verba ipsa quam verborum sententiam. Exempla proferam:

Iuvencus ut «*membrorum parallelismum*» fugiat comprehendit Matthaei verba VII 17, 18, 20[1]): «*Sic omnis arbor bona fructus bonos facit: mala autem arbor fructus malos facit (17). Non potest arbor bona fructus malos facere: neque arbor mala fructus bonos facere (18): Ex fructibus eorum cognoscetis eos (20).*» duobus tantum versibus I 699/700:

«*Utque arbor proprio vestitur germine pomi*
Sic dolus illorum fructu monstrante patescit».

---

[1]) v. 19: «*Omnis arbor, quae non facit bonum fructum, exciditur et in ignem mittitur*» omittit Iuvencus hoc loco, quod eundem versum supra I 336 tractavit secundum Mtth. III 10.

Etiamsi Iuvenci conversio frigida, tamen vituperanda non est. Totam similitudinem, quae agit de bonis ac malis hominum factis comparatis cum bonis ac malis arborum fructibus complectitur paucis, sed perspicuis verbis, quibus sententia sola redditur.

Ex eadem causa explicat Matthaei multa verba XXV 20—23 « *Et accessit qui quinque talenta acceperat et obtulit alia quinque dicens: Domine quinque talenta mihi dedisti, ecce alia quinque adquisivi (20). Et ait ille dominus suus: Euge serve bone et fidelis, quoniam in minimo fuisti fidelis supra maiora te constituam, intra in gaudium domini tui (21).* — versus 22. legitur ut 20., sed pro « *quinque* » pone « *duo* »; versus 23 legitur ut 21 —, paucis verbis IV 236—238:

« . . . . *tum primus et alter*
Se geminasse illi pariter concredita monstrant.
Illos laudat herus potioraque credere tantae
Promittit fidei . . . .»

Uno vocabulo ‚alter' complectitur versus 22 et 23.

Quos evangeliorum locos ab iis qui carmen legunt intellegi non posse Iuvencus putavit, quod ut homines antiqui aliter senserunt et iudicaverunt, reddit ita ut omnibus perspicui fiant. Itaque plerumque **non amplius exprimit quam quae evangelistae verba continent.**

Apud Mtth. V 28 legitur « . . . . *omnis qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam moechatus est eam in corde suo,* » quae verba Iuvencus reddit I 522: « *Nec minus optati quam facti poena luenda est* ».

Quod idem evangelista dicit V 38 « . . . . *oculum pro oculo, dentem pro dente* », reddit Iuvencus I 549 bene: « *Laedentem semper similis vindicta sequatur* ».

In Matthaei verbis II 6 inest vaticinium quod indicat ubi Christus nascatur: « *Et tu Bethleem terra Iudaeorum, numquid minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet dux, qui reget populum meum Israhel.* » Quamquam haec verba digna sunt, quae accurate tractentur, explicat Iuvencus I 238—240 tantum ea, quae verba continent:

«*Tunc manifestatur, Bethleem quod moenibus illum*
Progigni maneat, cui sacram ducere plebem
Istrahelitarum sancta virtute necesse est».

Ita res se habet in loco altero Matth. II 18: «*Vox in Rama audita est, ploratus et ululatus multus: Rachel plorans filios suos et noluit consolari, quia non sunt*» (Ier. 31, 15), quem Iuvencus reddit II 265/66:

. . . . *subolis misero pro funere matres*
Horrendis graviter caelum pulsare querellis».

Saepissime Iuvencus **una** tantum **voce** significat, quod apud evangelistam **pluribus verbis** vel **integro versu** exprimitur. E permagno illorum exemplorum numero pauca et gravissima afferam: Lc. verba I 15 «*et vinum et siceram non bibet*», quae ad Iohannem Baptistam pertinent, complectitur Iuvencus I 21 verbis: «*Sobrius aeternum* . . .». Voce «aeternum» exprimitur tempus futurum «bibet». — Eiusdem evangelistae verba I 60: «*invenisti enim gratiam apud deum*» reddit Iuvencus I 60 verbis «*caelesti iussu*». — Matthaei sententiam X 19 «*nolite solliciti esse quomodo aut quid loquamini*» reddit Iuvencus II 464 «*verborum cura*».

Maxime Iuvenco est in deliciis id, quod in codicibus latinis exprimitur **sententia relativa, una voce** reddere: Verba «καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ» Mtth. XII 3 codicibus in latinis convertuntur per «et *qui cum illo erant*», quod Iuvencus II 572 explicat verbo substantivo «*comites*». — Eodem modo exprimit verba «*qui bona egerunt* (οἱ τὰ ἀγαθὰ ποιήσαντες) et «*qui mala egerunt* (οἱ τὰ φαῦλα πράξαντες) (Ioh. V 29)» II 660/61 per «*iusti*» vel per «*pravi*». — Verba «*homini qui seminavit* (ἀνθρώπῳ σπείραντι)» (Mtth. XIII 24) reddit II 795 una voce «*agricola*». — Vox «*terrena*» (Iuv. III 302) interpretatur verba «*sed ea* (sc. sapis), *quae hominum* (sunt)» (Mtth. XVI 23).

Ut poeta occasione data locos quosdam silentio praeteriit, ita nonnulla addidit. Horum **additamentorum** duo sunt genera: 1. ea, quae **vera** sunt **addita-**

menta a poeta ipso facta, 2. ea quae **amplificationes**[1]) appello, quibus id, quod in evangelio exstat, aut **poetice** aut **explicandi causa** amplificatur. Nonnullae amplificationes poeticae exortae sunt aliis ex poetis, praecipue e Vergilio, de quibus amplificationibus in capite tertio agam. In numero **additamentorum** a poeta ipso factorum habentur, 1. quae poetam **e testamento vetere petivisse** puto, 2. quae **e poetae ingenio exorta** sunt, 3. quae **explicandi causa** adicit poeta.

Certo sunt repetita e testamento vetere, quae Iuvencus in versibus II 545/546 et III 265—67 de Elia propheta dicit: Iuvencus postquam Christi verba Matth. XI 14 «*et si vultis accipere, ipse* (sc. Iohannes) *est Elias, qui venturus est*» expressit II 543/44:

«*Si vultis volucris penetralia noscere saecli,*
Corpus Iohannis felix habitabile sumpsit
Helias,» pergit:

«. . . . *quondam quem turbine missa corusco*
Flammipedum rapuit simulatio quadriiugorum».

Simile facit additamentum Iuvencus loco quo discipuli Iesu quaerenti «*quem me dicunt esse homines?*» (Mtth. XVI 13) respondent: «*Iohannem Baptistam, alii autem Heliam* . . . .» quam responsionem reddit III 261 sq. Verbis «*alii autem Heliam*» explicatis III 264/65:

«*Pars memorat volucris famae sibi cognita verba*
Heliam venisse iterum,

addit Iuvencus 265—267:

quem praepete curru
Turbine caelesti quondam simulata quadrigis
Astris inseruit rapidae vis fervida flammae.»

De Elia autem in caelum transcendente pluribus verbis traditur in Regum libro IV 2—11. In versu 11 autem legitur

[1]) De additamentis et amplificationibus tractavit breviter Maroldus l. c. p. 334 sq. et Vivona, *de Iuvenci poetae amplificationibus, Palermo 1902,* quam commentationem neque bibliotheca Vratislaviensis neque Berolinensis habet.

«. . . . *ecce* ***currus igneus*** et ***equi ignei*** ***diviserunt utrumque*** (sc. Eliam et Elisaeum): ***et ascendit Elias per turbinem in caelum***». In Ecclesiastici libro 48, 13 et in Maccabaeorum libro II 58 idem sed paucis verbis narratur. Quod Iuvencus his locis de Elia dicit, narrat priore loco in Ovidi modum, ubi hic Phaethontis fabulam tractat, altero loco in catasterismi modum (cf. e. c. Met. II 506 sq.; XIV 811 sq.).

Alterum additamentum, quod e testamento vetere sumptum esse puto, est Iuvencus III 466: «*laesi tangit quod corda mariti*». Nihil de hac re invenitur apud Mtth. XIX 3 «*Si licet homini dimittere uxorem suam, quacumque ex causa*» quae verba Iuvencus III 465 explicat:

Coniugis an liceat reiectum scindere vinctum
Quicquid erit . . . .»,

nunc sequuntur verba supra citata: «. . . . ***laesi tangit quod corda mariti***.» Minime haec verba esse amplificationem poeticam puto, sed repetita esse e Mosis verbis V 24, 1: *Si acceperit homo uxorem et habuerit eam et* ***non invenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam foeditatem*** . . . ., praesertim cum verba evangelistae quae sequuntur redeant ad illum Mosis locum. Iuvencum ergo testamentum vetus ipsum inspexisse apparet. Sane fieri potuit, ut in manibus haberet Matthaei commentarium qui remisit ad illum veteris testamenti locum.

Frequentiora sunt **additamenta poetica**, quae cum omnia commemorari non possint, gravissima excitabo. Quae verba Lucas I 19 sq. Gabrielem angelum facit loquentem: «*Ego enim sum Gabriel* etc. . . . .», bene inchoat Iuvencus I 32—34:

«***Si tibi mortalis subolem promitteret ullus,***
Ad desperandum forsan cunctatio mentis
Debuerat tardis haerens insistere verbis»,

quorum verborum nihil simile exstat apud evangelistam.

Maximum autem additamentum poeticum legitur I 685—689:

«***At si quos nimium fallax inlexque malorum***
Planities suasit deformi lubrica lapsu,

Adripit hos pronosque trahit velut impetus amnis
Aut alacer sonipes ruptis effrenus habenis,
Aut rectoris egens ventosa per aequora puppis.»

Hoc adicit Christi verbis dulcibus VII 13 sq., quae Iuvencus haud male reddit I 679—684. Recte Sabatierus[1]) adnotat ad illos versus 685—689: «*At horum vestigium nullibi alias reperimus, ut vero simile omnino sit Iuvencum in argumenti tractatione liberius excurrisse*». Etiamsi rem ipsam e poeta aliquo Iuvencum sumpsisse demonstrari non potest, tamen pauca verba e Vergilio petivisse apparet, veluti «*sonipes*» pro «*equo*» et in versu 689 verba «*ventosa per aequora*», quae occurrunt iisdem versus pedibus Georg. I 206 et Aen. VI 335. Cum verbis «*ruptis . . . habenis*» conferri potest Aen. XI 600 «*. . . . pressis . . . . habenis*».

In libro II. exstant versus 65/66:

«*Iamque hominis stupidum decusso daemone pectus*
Insperata suae veneratur dona salutis»,

qui a poeta narrationi inserti sunt. Nam nihil simile invenitur apud Marcum V, quem hoc loco Iuvencus sequitur, ut supra (p. 18—21) demonstravimus. Iuvencus sequitur hoc loco modum poetae epici, qui singulas res copiose et fuse describit.

Ad additamenta a Iuvenco **explicandi causa** facta, quae iam Maroldus[2]) commemoravit, appono hoc unum I 257/58:

«*At ferus Herodes sibimet succedere credit,*
Quem callens astris quaesisset cura Magorum»,

quibus versibus Iuvencus infantium caedem argumento confirmare voluisse mihi videtur. Quod Herodes verebatur, ne Christus sibi regni dignitatem adimeret, omnes infantes pueros interfici iussit[3]).

[1]) Sabatier, *Bibliorum sacrorum latinae versiones antiquae seu vetus Italica, tom. tert. p. 41.*

[2]) l. c. p. 336.

[3]) de hac re cf. «*Rheinisches Museum*» 54, 474, 1.

Apud Iuvencum inveniuntur additamenta quoque, quae **paucis verbis** id quod sequitur **quasi praeparant.** Exemplis demonstretur:

Verbis Lc. I 7: «*et non erat illis filius, eo quod esset Elisabeth sterilis et ambo progressi erant in diebus suis*», quae Iuvencus complectitur versu I 8, adicit v. 9

«*Gratius ut donum iam desperantibus esset*»,

quo indicat Iohannem nasci.

Simile additamentum praecipiens exstat in versibus II 739/40:

«*Illa cadunt diversa solo sortemque locorum*
Pro virtute ferunt».

Haec verba praeparant similitudinem de seminatore et vario agro dictam, quae tractatur versibus sequentibus.

Ita res se habet IV 169/70:

«. . . ; *nec cunctos ille sub una*
Condicione premet»,

quae verba spectant ad verba Mtth. XXIV 40 41: «*Tunc duo erunt in agro unus adsumetur et alter relinquetur* (40) *Duo erunt in lecto iacentes, unus dimittetur et alius adsumetur* (41)», quae redduntur in Iuvenci v. 171 et sequentibus versibus.

Longe frequentiores quam additamenta sunt **amplificationes**, quae ut supra dixi, sunt aut **poeticae** aut **explicandi causa factae.**

Nunc pauca dicam de poeticis: **Amplificationes poeticae** exornant **verbis pluribus** id quod ab evangelista **simpliciter** sive **una voce** sive **paucis verbis** dicitur. Quarum amplificationum numerus est tam magnus, ut non omnes commemorare possim. Locos iam a Maroldo tractatos praetereo.

Quo loco evangelista Lucas narrat Iesum a Maria et Iosepho parentibus requiri, dicit simpliciter II 44 «. . . . et *requirebant inter cognatos et notos*», cum Iuvencus poetice amplificet I 289 sq.:

«*Illum* ***per*** *vicos urbis* ***perque*** *abdita tecta*
Perque *iteris stratas* ***per*** *notos* ***perque*** *propinquos*
Quaerebat *genetrix*».

Et postquam parentes reppererunt puerum, dicit Maria Lc. II 48: «. . . . *Ecce pater tuus et ego dolentes quaerebamus te*», quam vocem «*dolentes*» poeta ita exornat I 296/97:

«*Nate, ait, amissum lacrimis te quaero profusis*
Anxia cum genitore gemens».

Matthaei versus IV 5 incipit a vocabulo simplici «*tunc*» quod Iuvencus amplificat I 382/383:

«*Rursus at ille dolos versutis artibus aptans*
Nectere temptator properat . . . .»

Quo in versu II 50 «*Scindebatque graves ut lanea fila catenas*» «*catenas graves*», quas homo a daemonibus correptus scindebat, comparat cum «*laneis filis*», imago orta est e poetae ingenio. — Eodem modo exornat Iuvencus vv. II 142—144:

«*Praeceptis parent iuvenes undasque coronant*
Conpletis labiis lapidum; tum spuma per oras
Conmixtas undis auras ad summa volutat».

evangelistae Ioh. verba II 7: «*et impleverunt eas* (sc. hydrias) *usque ad summum*». — Quod apud Ioh. IV 50 Christus simpliciter loquitur ad centurionem «*Vade filius tuus vivit . . . .*», amplificat Iuvencus II 337/38:

«*. . . , sed perge et sospite vita*
Aedibus in vestris dulcem complectere natum».

Quod dicit Matthaeus XII 30: «*Qui non est mecum, adversus me est*», Iuvencus bene explicat II 619/20:

«*Quisque meis aberit discretus miles ab armis*
Hostis in adversa consistet fronte duelli»,

imaginem adhibens quam e rebus militaribus petivit.

Exornatio poetica clarissima est vocabuli «*saltare*» Mtth. XIV 6: (Die autem natali Herodes *saltavit* Herodiadis filia in convivio . . . .), quae invenitur III 56/57:

«*In medio iuvenem reginae filia virgo*
Alternos laterum celerans sinuamine motus,
Conpositas cantu iungit modulante choreas».

Iuvencus, quod III 425: «*Sed si discutiet doctorum frena duorum*» reddit Mtth. XVIII 17 «*Quodsi et eos non audierit . . . .*», ante oculos habebat equum ferocem, cui quamvis duo frena adhibeant, tamen ea discutit. Statim recordamur Vergili locum VI 100, quo de Sibylla dicitur: «*. . . . ea frena furenti Concutit . . . . Apollo*».

Evangelistae Mtth. verba XXI 21 «*. . . . sed si monti huic dixeritis «Tolle et iacta te in mare», fiet*», reddit Iuvencus vv. III 669/70:

«*. . . . , sed montis celsa revelli*
Credentum verbo poterunt undisque profundi»

amplificatque v. 671:

«*Cum silvis pariter saxisque ferisque recondi*».

In **amplificationum poeticarum** numero referendae sunt etiam **solis ortus** et **occasus descriptiones,** quae exprimunt verba evangelistae simplicia veluti «*altera autem die*» vel «*vespere autem facto*» vel similia. Interdum Iuvencus in his Vergilium aut alios poetas imitatur. Iuvenci versus IV 586/87:

«*Sidera iam luci concedunt et rapidus sol*
Progreditur radiis terras trepidantibus implens»

exornant Mtth. verba XXVII 1 «*Mane autem facto*» et versus III 224/25:

«*Convexum quotiens claudit nox humida caelum*
Si ruber astrifero procedit vesper Olympo»

exornant Mtth. XVI 2: «*cum sero factum fuerit*», quo loco Iuvencus Vergilium sequitur.

Ut supra intelleximus Iuvencum plura evangelistae verba reddidisse nonnumquam voce una, ita multo saepius amplificat vel exornat **unam evangelistae vocem pluribus verbis poeticis.**

Vocem «*prophetare*» Lc. I 67 reddit Iuvencus I 116: «*canere venturi conscia dicta*». — Vocem «*oboedire*» Mtth. VIII 27 circumscribit Iuv. II 42, procellas humana specie induens, «*minis submittere colla*». — Vocem unam

«*sanis*» Mtth. IX 12 (*non est opus sanis medicus*) exprimit Iuvencus verbis II 354/55:

«. . . . *ubi fortia membra*
Intemerata salus vegetat virtutis honore»

Verbum «*reficere*» Mtth. XI 28 explicat Iuvencus II 557: «*antiquas vires hilari reparare quiete*». — Simplex vocabulum «*manducare*» Mtth. XV 20 circumscribit Iuv. III 175: «*Corporis arbitrio terrenum sumere victum*». — Pro «*mare*» dicit Iuvencus III 257 «*liquidi terga profundi*». Nobis in mentem venit, quod dicit Homerus Γ 142 et Δ 313: «ἐπ' εὐρέα νῶτα θαλάσσης»». — Verba Mtth. XXIV 13 «. . . . *hic salvus erit*» reddit Iuv. IV 116:

«. . . . *sublimia lucis*
Aeternis vitae sertis redimitus adibit»

et eiusdem evangelistae verbum «*resurgere*» XXVII 63 explicat IV 734/35:

«*E mortis . . . . tenebris ad lumina vitae*
. . . . *remeare* . . . .».

Causa poetica est in **attributis** quoque, **quae** Iuvencus non solum **Deo summo,** sed etiam **personis** et **rebus addidit.** De qua re cum iam Maroldus[1]) bene disseruerit, ego non loquar. Maroldus ubi de hac re egit id quoque commemorat Iuvenco in deliciis esse, vocem unam exprimere, cum substantivum cum adiectivo coniungit, a quo substantivo pendet genetivus eius vocis, quam poeta circumit, veluti «*vis tetra veneni*». Recte adicit Maroldus: «*Dadurch kommt bisweilen für unsere Auffassung ein ungehöriger Schwulst in die sonst ruhige epische Erzählung*». Saepissime invenitur apud Iuv. circumlocutio per v. «substantia»; veluti dicit Iuv. pro «*vox*» II 418: *sonorae substantia vocis*». Plura exempla collegit Huemerus in editionis indice p. 172 s. v. «*substantia*», ante eum Maroldus in editionis indice p. 118.

Restat ut spectemus **amplificationes** quas poeta videtur **explicandi causa** confecisse. Quamquam sunt

[1]) l. c. p. 337.

rarae. Neque plures esse puto quam quas infra commemorabo.

Quod Iuvencus vocabulum «*salvator*» (σωτήρ) Lc. II 11 circumit toto versu I 167: «*Qui populis lucem mox laetitiamque propaget*», his verbis eum explicare voluisse puto, quatenus sit Iesus «*salvator*». — Versum I 234 «*Quique prophetarum veterum praedicta recensent*» existimo amplificationem, quae fit explicandae causa vocis «*scribae*» Mtth. II 4. — Sine dubio eadem res intellegitur exemplis his: I 571, II 347 sq., III 706. — Locis I 571 et II 347 exprimit vocem «*publicani*», loco I 571 per «*gens dedita lucris*» loco II 347 sq.:

«*Publica conductis qui vestigalia lucris*
Professi capiunt alieno nomine praedam».

Loco III 706 denique exprimit simili modo vocem «*meretrices*»:

«*Corporis e vitiis quaerentes sordida lucra.*»

His in circuitionibus verborum Iuvencus non solum explicat, sed etiam indignationem erumpit in duo genera horum hominum, quorum alterum publicanorum[1]) fraude, alterum meretricum moribus impuris locupletatum est. Cum Iuvencus provinciae Romanae incola esset, vita moresque publicanorum ei haud ignoti erant, quapropter mirandum non est, quod Iuvencus tantopere in eos invehitur.

Saepe in evangeliis sententiae, verba, narrationes aliis versibus intermissis separantur, quam ob rem Iuvencus verba sententiis congruentia componit, quo factum est **ut saepe totos versus ei sint transponendi.**

Ad exempla huius rei, quae Maroldus[2]) attulit, duo addam: Lucae verba II 50 51: *Et ipsi non intellexerunt verbum quod locutus est ad illos (50). Et descendit cum illis et venit in Nazareth et erat subditus illis. Et mater eius conservabat*

---

[1]) De publicanis, maxime in evangeliis commemoratis vide: Rostowzew: *Geschichte der Staatspacht in der röm. Kaiserzeit bis Diokletian, p. 151 sq., Leipzig 1903.*

[2]) l. c. p. 332/33.

omnia verba haec in corde suo» transponit Iuvencus sententias similes ita coniungens I 302—306:

Lc. II 51 «*Haec ait et gressum sociat patriamque revisit:*
Lc. II 50 = *Nec genetrix tanti persensit pondera verbi,*
Ordine cuncta tamen cordis secreta reservant.
Lc. II 51 = *At puer obsequiis apte praedulcibus ambos*
Ad proprium semper cogens nectebat amorem.»

Cum evangelista verba, quae proprie sunt coniungenda: «*Et ipsi non intellexerunt, quod locutus est ad illos (Lc. II 50)*» et «*Et mater eius conservabat omnia verba haec in corde suo (Lc. II 51)*», dirimat verbis interiectis «*Et descendit .... erat subditus illis*», componit ea Iuvencus, quae compositio efficit sententiarum dispositionem elegantiorem.

Ne narratio «asinae et pulli» interrumpatur, Iuvencus transponit evangelistae versus Mtth. XXI 1—10 ita: Incipit a versu primo (1), tum sequuntur versus 2, 3, tum 6, 7, deinde 4, 5, 8, 9, 10. Postquam enim evangelista narravit vv. 1—3 discipulos asinam et pullum adducere iussos esse, inserit nunc prophetae verba in vv. 4 et 5. Tum pergit vv. 6 et 7 narrans discipulos asinam et pullum iussos adducere, et in vv. 8—10 nos certiores facit de Iesu introitu solemni Ierusalem in urbem facto. Sed Iuvencus narrat primum asinam et pullum discipulos adducere a Iesu iuberi eosque eius mandata exsequi, quae omnia continent versus Mtth. XXI 2, 3, 6, 7 = Iuv. III 625—632; deinde affert prophetae verba in vv. 633—635 = Mtth. XXI 4, 5; tum narrat Iesu introitum solemnem 635—641 = Mtth. XXI 8, 9. 10. Haec versuum transpositio et dispositio sunt laudandae.

Iuvencus praecipue eis quoque locis versuum **transpositiones sibi sumit, quibus exstant breves orationes et responsiones.** Quod volo exemplis manifestum fiat:

Iohannes, quo in loco IV 47 sq. narrat centurionem a Iesu petere filii sanationem, facit Iesum loquentem v. 48: «*Nisi signa et prodigia videritis non creditis*», quibus verbis centurio respondet 49: «*Domine descende priusquam moriatur filius meus*», quibus iterum Christus refert 50: «*Vade filius*

tuus vivit». Sed Iuvencus componens versus 47 et 49 = II 332—335, 48 et 50 = 336—338 complectitur utriusque verba, qua re effugit ter exprimere verba: «*dixit ergo Iesus ad eum 48*», «*dicit ad eum regulus*» 49, «*dicit ei Iesus*» 50. — Non aliter res se habet Iuv. II. 804 sq. = Mtth. XIII 27 sq.: Cum legatur apud evangelistam «*Accedentes autem servi . . . . dixerunt ei: Domine nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Unde ergo habet zizania? (27) Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Servi autem dixerunt ei: Vis, imus et colligimus ea? Et ait: Non . . . . (29)*», profert Iuvencus primum continuo omnia servorum verba, quae apud evangelistam divulsa sunt, in vv. II 801—805:

Mtth. XIII 27 = «*Tum domino famuli mirantes talia fantur:*
Nonne bonum terrae semen per terga dedisti?
Unde igitur lolio turpi tua rura gravantur?

Mtth. XIII 28 (sententia et quaestio altera.) *Sed iam, si iubeas, messem purgabimus omnem*
Triticeusque nitor selecta sorde resistet.»

tum explicat domini responsionem vv. 806—811:

Mtth. XIII 28 *Tum dominus miti contra sermone profatur*
Hic dolus est, inimice, tuus,
sed farra sinamus
Crescere cum lolio. Pleno nam tempore messis etc. Mtth. XIII 30.

Qua re fugit Iuvencus duplices repetitiones verborum «*et dixerunt ei*» et «*et ait illis*»

Idem intellegitur e Iuv. III 336 sq. = Mtth. XVII 7 sq.: Iuvencus coniungit Christi verba, quae apud evangelistam dividuntur in vv. 7 et 9, tum demum tractat v. 8.

Evangelista.	**Iuvencus.**
Mtth. XVII 7: *Et accessit Iesus et tetigit eos dixitque: Surgite et nolite timere!* =	*. . . . sancto Christi nisi dextera tactu* *Demulcens blandis firmasset pectora verbis:* *Surgite et abiectum fortes calcate timorem*
Mtth. XVII 9: *. . . . praecipit illis Iesus dicens: Videte ne cui dixeritis, donec filius hominis a mortuis resurgat.*	*Nec cuiquam praesens pandatur visio verbis* *Ni prius huc hominis suboles speciosa reportet* *In lucem referens mortis de sede tropaea.*

Evangelista.	Iuvencus.
Mtth. XVII 8: *Levantes autem oculos suos neminem viderunt nisi solum Iesum.*	Mtth. XVII 8 *Consurgunt solumque vident* Mtth. XVII 10 *et voce requirunt*
Mtth. XVII 10: *Tunc interrogaverunt illum discipuli dicentes: Quid ergo etc. etc.*	*Cur scriptis veterum etc.*

Intra unum quoque versum transponit Iuvencus interdum verba:

Veluti apud Lc. II 48 legimus: «. . . . *et dixit mater eius ad illum: Fili quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus et ego dolentes quaerebamus te*». Sed Iuvencus verborum ordinem immutat I 296 sq.:

«. . . . *at pia mater*:
Nate, ait amissum lacrimis te quaero profusis
Anxia cum genitore gemens. Quae causa parentum
Discernit gressu templique in sede retentat?»

Puto Iuvencum transposuisse propter elegantem dispositionem. Itaque ponit primo loco rem, de qua agitur (296/97), quam sequitur quaestio (298), cui continuatur statim responsio (299 sq.)

Matthaei verba VII 22: «*Multi dicent mihi in illa die: domine, domine, nonne in tuo nomine prophetavimus, et in nomine tuo daemonia eicimus, et in tuo nomine virtutes multas fecimus*». Iuvencus transponit, cum facit quaestionem evangelistae ultimam primam I 709/10:

«*Nonne tuo quondam magnae sub nomine nobis*
Virtutes sanctis domuerunt omnia iussis?»

Tum affert quaestiones, quae apud evangelistam positae sunt loco in priore et altero, earum ordinem obtinens. Poeta hoc quoque loco quaestiones transposuisse mihi videtur propter dispositionem elegantem. Primum facit illos in universum quaerentes: «*nonne virtutes multas fecimus*», tum facit illos proferentes quasi exempla paucas virtutes, quas effecerunt, veluti «*se prophetavisse*» et «*daemonia eiecisse sub nomine eius*».

Eodem modo transponit Iuvencus, quod apud Mtth. XII 37 dicitur: *Ex verbis enim tuis iustificaberis et ex verbis tuis condemnaberis,* II 635/636:

« *Verborum meritis veniet sub iudice poena*
Verborum meritis veniet sub iudice vita. »

Sabatierus[1]) haud recte fecisse mihi videtur, quod versus ita transponit, ut congruant cum evangelista. Consulto transponit poeta, ut versus 634: «*et mala letifero procedunt ore venena*» et 635 «*Verborum meritis veniet sub iudice poena*» bene inter se cohaereant.

Nunc transgrediamur ad **observationes singulas:**

Saepissime invenimus apud evangelistam pauca verba recta narrationi intermixta veluti sive iussus sive adhortationes sive preces sive quaestiones, quae Iuvencus plerumque **facit pendentia** a verbis finitis iubendi vel adhortandi vel precandi vel quaerendi et **coniungit** aut cum **accusativo cum infinitivo** aut cum «**ut**» **cum coniunctivo** aut **cum coniunctivo solo. Iuvencus ergo orationem rectam facit narrationem.**

Iussus vel adhortationes apud evangelistam verbis rectis traditi pendent apud Iuvencum a verbo finito iubendi vel adhortandi:

Quod Herodes Magis quaerentibus oratione recta mandat «*Ite et interrogate diligenter de puero, et cum inveneritis, renuntiate mihi, ut ego veniens adorem eum*» reddit poeta I 241/42:

«*Hinc iubet Herodes Persas pertendere gressum*
Inventumque sibi monstrare colendum».

Quibus verbis Christus poenitentiam praedicat, ea tradit Matthaeus oratione recta IV 17: «*Poenitentiam agite ....*», cum Iuvencus ea pendentia faciens de vocabulo «*nuntiat*» dicat I 419/20:

«*Ergo instare dei regnantis munera Christus*
Nuntiat increpitans praeconia larga salutis».

---

[1]) l. c. III, p. 73.

Mariae verba ad ministros Ioh. II 5 «*Quodcumque dixerit vobis, facite*» reddit Iuvencus II 139:

«. . . . *ministros*
Mater et imperiis nati parere iubebat».

Eodem modo reddit Iuvencus Christi verba recta ad eosdem ministros Ioh. II 8: «*Haurite nunc et ferte architriclinio*» ea faciens dependentia II 145:

«*Hinc iubet, ut summo tradant gustanda ministro*».

Quod Christus dicit ad discipulos verbis rectis Mtth. XXVI 36: «*Sedete hic, donec vadam illic et orem*», interpretatur Iuv. IV 481: «*Atque illic reliquos iussit residere ministros*».

Eodem modo Iuvencus breves preces rectas reddit pendentes faciens a verbo finito. Pauca exempla e magno numero sufficiant:

Apud Ioh. IV 31 petunt discipuli a Iesu verbis rectis: «*Rabbi manduca*», quod Iuvencus II 302 reddit: «*Discipuli interea rogitabant sumeret escas*». — Mulieris Chananaeae preces Mtth. XV 22: *Miserere mei domine fili David, filia mea a daemonio male vexatur*», explicat Iuvencus narrando III 179/80:

«. . . . *non desinit anxia Christum*
Orare, ut mentem vexatam daemone saevo
Redderet et miserae tandem resipere liceret.»

Eodem modo reddit, quod virgines stolidae verbis rectis petunt a prudentibus apud Mtth. «*Date nobis de oleo vestro*», Iuvencus IV 212 = Mtth. XXV 8 «*Tum stolidae rogitant olei sibi cedere partem*». — Earundemque preces Mtth. XXV 11: «*domine, domine aperi nobis*» interpretatur eodem modo IV 223: «. . . . *precibusque ingrata frequentant,*
ut liceat miseris penetrare in limina laeta».

Quaestiones evangelii rectas subicit Iuvencus verbo finito:

Apud Mtth. II 2 interrogant magi oratione recta: «*Ubi est qui natus est rex Iudaeorum?*», quod Iuvencus reddit I 228: «. . . . *orantque doceri*
Quae regio imperio puerum Iudaea teneret».

Discipulorum quaestionem Mtth. XIII 10: «*Quare in parabolis loqueris ad eos*» reddit Iuv. II 755/56:

«. . . . *discipuli* . . . . *requirunt*
Implicitis populo cur clauderet omnia verbis».

Eodem modo discipulorum quaestionem Mtth. XVII 18: «*Quare nos non potuimus eicere illum*» Iuv. III 371/72:

«*Discipuli rogitant cur non successerit* . . . .».

Id quoque, quod discipuli quaerunt Mtth. XVIII 1 «*Quis erit maior in regno coelorum?*», Iuv. III 396/97:

«*Discipuli post inde rogant, quis maximus alto*
In caeli regno meritis pro qualibus esset.»

Multa alia exempla omitto.

Cum Christus saepe in orationibus suis alium quoque faciat orationem rectam loquentem, Iuvencus plerumque **illam alius cuiusdam orationem rectam reddit subiectam verbo dicendi.**

Qua in parabola Christus caelorum regnum comparat cum rege, qui «*voluit rationem ponere cum servis suis*» Mtth. XVIII 23 facit servum loquentem ad regem: «*Patientiam habe in me, et ego reddam omnia*»: sed Iuvencus reddit verba oratione obliqua III 443 sq.:

«. . . . *adorat*
Et spondet, spatii sibi si foret ulla facultas
Omnem nummorum domino dissolvere summam».

Item res se habet in parabola, quae agit de operariis in vineam missis. Verba, quae Christus et patrem familias et operarios oratione recta loquentes facit, subicit Iuvencus vocabulo finito vel dicendi vel iubendi vel quaerendi.

Matthaeus XX.	Iuvencus III.
4: . . . *et illis dixit: «Ite et vos in vineam meam et quod iustum fuerit dabo vobis».*	557/58: . . . . *operique adcrescere iussit* *Pro meritis operis promittens praemia digna.*
6: . . . . *et dicit illis: Quid hic statis tota die otiosi?*	565/566: . . . . *causasque requirit* *Cur pigris manibus torperent otia lenta.*

Matthaeus XX.	Iuvencus III.
7: *Dixerunt ei: «Quia nemo nos conduxit.» Dicit illis: «Ite et vos, operamini in vineam meam.»*	567—569: *Aiunt, conductoris quod praecepta fuissent Nulla sibi. Dominus mox hos insistere ruri Tunc etiam iussit.*
8: .... *dicit dominus vineae procuratori suo: «Voca operarios et redde illis mercedem, incipiens a novissimo usque ad primos.»*	570/71: *Praecipit, ut cuncti caperent mercedis honorem Aequalique omnes portarent praemia nummo.*

Sed postea retinet Iuvencus recta verba eorum operarum, qui queruntur, se, quamquam a prima luce usque ad solem occidentem laboravissent, tantundem argenti accepisse quantum qui unam horam laboravissent (12), et quae paterfamilias illis respondet oratione recta. Facillime intellegimus, cur Iuvencus ita egerit. His enim verbis dependet tota imago, quae oratione recta reddita multo magis perspicua est quam oratione obliqua expressa.

Quodsi quaerimus, cur Iuvencus plerumque has breves orationes rectas fecerit obliquas, **id fecisse videtur, ne laederet carminis epici vim et naturam**, quae in narratione versatur.

Semel, nisi fallor, poeta id, quod ab evangelista narratur, mutat oratione. Locus est hic: Matth. XVI 20 et 21:

> «*Tunc praecepit discipulis suis, ne cui dicerent, quia ipse est Christus (20). Ex illo die coepit Iesus ostendere discipulis suis, quia oporteret illum ire in Hierosolyma, et multa pati a senioribus, et principibus sacerdotum, et ab scribis, et occidi, et tertia die resurgere*», quae verba Iuvencus oratione recta adicit verbis Christi rectis antecedentibus III 287—295. Haud scio an Iuvencus commotus sit, ut hanc narrationem fecerit orationem, Mtth. loco XX 18 sq., quo eadem fere verba traduntur oratione recta. Quem locum XX 18 sq. tractat Iuv. III 586—589.

Nunc pauca verba faciamus, qua ratione Iuvencus evangeliorum syntaxim tractaverit. Evangelistae magis

parataxim adhibent quam hypotaxim. Iuvenci illa narrandi ratio opportune obvenit, cum in carmine epico quoque parataxis anteponatur hypotaxi. Exempli causa afferro locum I 107—112:

«. . . *Ad partus famam collecta cucurrit*
Turba propinquorum, tum gaudia mira frequentes
Concelebrant nomenque iubent genitoris habere.
Abnuit hoc genetrix, sed Iohannes vocitetur
Ingeminat. Placuit muti tunc iussa parentis
Consulere, scriptoque rogant edicere nomen.»

Interdum autem ponit in constructionis paratacticae loco hypotacticam praecipue iis locis quibus constructio hypotactica quodammodo facile ipsa occurrit, veluti II 127—129:

«*Interea thalamis conubia festa parabant*
In regione Chanan , ubi . . . .»

cum evangelista dicat Ioh. II 1: *Et nuptiae factae sunt . . . , et erat mater Iesu ibi*».

Saepissime inveniuntur in Christi orationibus enuntiata interrogativa. Quae cum interrogationes specie positivae plerumque habeant sensum negativum, adaequant enuntiatum re vera negativum. **Itaque redduntur a Iuvenco enuntiatis negativis:**

Interrogatio Mtth. VII 9 «*Aut quis est e vobis homo, quem si petierit filius suus panem, numquid lapidem porriget ei?*» redditur a Iuvenco I 670 enuntiato negativo:

«*Vos homines natis panem poscentibus omnes*
Non lapidem dabitis . . . .»

Item reddit interrogationem Mtth. VII 16 *Numquid colligunt de spinis uvas aut de tribulis ficus?*» Iuv. I 697/98:

Nam neque de tribulis ficus nec sentibus uvas
Provenisse umquam . . . . notastis».

Eodem modo Mtth. XXV 37 «*Domine, quando te vidimus esurientem et pavimus, sitientem et potum dedimus tibi?*» reddit Iuv. IV 278: «*Non meminit nostrum quisquam te visere . . . .*»

Si interrogationes sunt **specie negativae, sed sensu positivae,** a Iuvenco **exprimuntur enuntiatis positivis:**

Christi interrogationem Mtth. X 29 «*Nonne duo passeres asse veneunt?*» enuntiat Iuv. II 490: «*Passeribus pretium nummi vix portio parva Proveniet*». — Quod Christus Mtth. XII 3 pharisaeum interrogat «*Non legistis quid fecerit David, cum esurisset ipse et qui cum eo erant?*» enuntiat Iuv. II 570 sq. «*Legitis certe . . . .*» — Interrogatio Ioh. XI 40: «*Non dixi tibi, quia, si crederis, videbis gloriam Dei?*» explicatur a Iuv. IV 381 enuntiato affirmativo «*Iam totiens dictum est . . . .*»

Sed quoque fit, ut **Iuvencus** interdum **interrogativo enuntiato usus sit,** quo **evangelista enuntiatum negativum adhibet:**

Apud Mtth. V 14 legitur «*Non potest civitas abscondi supra montem posita*», quod Iuv. explicat I 478: «*Nam quis . . . . occultare queat?*» — Eodem modo reddit verba Mtth. XXVII 42 «*Alios salvos fecit, se ipsum non potest salvum facere*» Iuv. IV 678 sq.:

«*Nonne alios quondam trucibus servare solebat*
Morborum vinctis? sese cur solvere poenis
Non valet?».

Denique est mihi memorandum **Iuvencum nonnumquam,** sed non saepe, **sententias, quas evangelista negative exprimit, affirmative reddere:**

Quod apud Ioh. III 5 legitur negative «*nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu, non potest introire in regnum dei*» explicat Iuv. affirmative II 193 sq.:

«*. . . . si quis de fonte renatus*
Et flatu sancto rudibus consistere membris
Coeperit, aetheriam liber conscendet in aulam.»

Apud eundem evangelistam V 31 legitur: «*Si ego testimonium perhibeo de me, testimonium meum non est verum*», quod Iuv. II 565/66 interpretatur:

«*Namque ego si proprio testis pro nomine surgam,*
Falsa loquar».

Apud Mtth. XVI 4 dicit Iesus «*et non dabitur ei nisi signum Ionae prophetae*» quod Iuv. enuntiat III 233 sq.: «*Sed vobis signa dabuntur, quae . . . .*».

Quoniam cognovimus, qua ratione Iuvencus materiam finxerit, facere non possumus, quin in fine huius capitis iterum dicamus, poetam quamquam erroribus non careat, tamen materiam satis bene diligenterque tractare.

Caput III.

Nunc vertamus nos ad caput tertium, quo **de Iuvenco Vergili imitatore** agatur.

1. Quid carmen evangelicum componens voluerit, Iuvencus proloquitur in carminis praefatione, in qua se comparat cum Homero et Vergilio, quibus sit carminibus epicis certa immortalitas

> «. . . . *dum saecla volabunt*
> *Et vertigo poli terras atque aequora circum*
> *Aethera sidereum iusso moderamine volvet*»,

quamvis eorum carmina «*veterum gestis hominum mendacia nectant*». Illis Homeri et Vergili carminibus «*falsa*» referentibus Iuvencus opponere vult «*carmen sine crimine falsi*», cuius virtus futura sit «*certa fides*». Intelleximus Iuvencum «*certam fidem*» magni aestimasse, sed quod speravit fore ut ipse quoque carmine gloriam sempiternam et «*laudem aeternam*» consequatur, ei non obtigit. Nam cum usque ad tempus nostrum legantur atque iterum legantur Homerus et Vergilius, Iuvencus in oblivionem pervenit, quamquam Iuvenci argumentum grandius est quam Homeri vel Vergili. Hoc enim argumentum maius est, quam ut versibus exprimatur. Grandis dulcisque Christi sermo fluit quasi carmen ipsum oratione prosa compositum. Nam quis est qui possit poeticam illam psalmorum orationem augere versibus? Permulti et sunt et erunt, qui evangelia legant, paucissimi, qui «*Messiam*» introspiciant! **Iuvencus cum** carmine suo christiano **demovere vellet loco suo praecipue Vergilium, Vergilium imitatus est.** Sed alios quoque poetas veluti Lucretium, Ovidium, Statium Iuvencus non spernit; cuius rei exempla afferre mihi opus non est, cum quae iam Reuschius et Gebserus pauca contulerunt, auxerit Huemerus sub editionis

suae textu. Numerum exemplorum Hatfieldius[1]) auxit. Sed plurima Iuvencus debet Vergilio, «*principem carminum*» quem dicit Velleius Paterculus. **Iuvencus imitatur Vergilium duplici ratione; altera spectat ad rem, altera ad formam.** Minime sequitur Iuvencus in imitatione ad rem pertinenti certas leges. Ubicumque potest, sumit e Vergilio ipso enuntiationes neque considerat utrum aptae sint necne, quae saepe ei commutandae sunt, quibus possit uti. Saepe conficit versus ex versuum Vergilianorum partibus; saepe facit incipientem versum a versus Vergiliani initio, saepe versuum finem congruentem cum versuum Vergilianorum fine. Reperimus descriptiones quae ad Vergili descriptiones prope accedunt; sed rarae sunt, quod mirum non est, cum materia utriusque carminis dissimillima sit. Nam Vergilius materia sua liberius uti potuit; Iuvencus, materiam liberius et magis poetice exornare fide ac religione prohibitus est. Itaque summam diligentiam posuit in ornando carmine suo. Atque hac in re ei viam monstravit Vergilius, qui perfecit illam dictionem, quae ex illo tempore in sermone poetico vigebat.

2. Nunc ad **singula** transgrediamur. Primum consideremus Vergili imitationes quae ad rem pertinent.

a) Iuvencus **sumit** e Vergilio **enuntiationes**, quibus exprimat vel singulas sacri textus voces vel quae ei nimis volgares viderentur esse. — Utar exemplis quantum quidem fieri potest a me inventis.

Statim I 3 sunt verba «. . . . *cui templum cura tueri*» ducta e Vergilio[2]) VII 443[3]) «*cura tibi divom effigies et templa tueri*», quibus verbis reddit, quod dicit Lucas I 8 «*cum sacerdotio fungeretur* . . . .» — Neque minus I 79 verba «. . . . *vacuis se condidit auris*», quae explicant Lc. I 38 vocem «*discessit*» similia sunt Vergilianorum, veluti II 621 «. . . . *spissis noctis se condidit umbris*», V 243 «*portu se condidit alto*»,

---

[1]) Hatfield: A study of Iuvencus, Bonn 1890, p. 40—47.

[2]) Ubicumque operis nomen non adscripsi, Aeneidis libris excitantur.

[3]) Numeris usus Ribbeckii.

VII 619, VIII 66, XII 686. Enuntiatio quoque «*vacuae aurae*» invenitur apud Verg. XII 592 «. . . . *vacuas it fumus ad auras*». — Lc. II 51 «*venit Nazareth*» exprimit Iuv. I 302 «*patriamque revisit*» congruens cum Verg. Georg. IV 390 «. . . *patriamque revisit* | *Pallenen*». — Ut reddat Iuvencus Mtth. III 10 «*Omnis arbor, quae non facit fructus bonos* . . . .», usurpat Vergili enuntiationem G. II 440 «*ipsae Caucaseo steriles in vertice silvae* . . . .» dicens I 336 «*Caedentur silvae steriles* . . . .» — Apud Mtth. IV 13 legitur «. . . . et *habitavit* . . . . *in finibus Zabulon* . . . .», quam vocem «*habitavit*» circumit Iuv. I 411 «*Finibus et statuit Zabulonum ponere sedes*», quocum conferas Verg. III 98 «. . . . *ubi ponere sedes*». — Vocabulum «*dormiebat*» Mtth. VIII 24 («*ipse vero dormiebat*») explicat Iuv. II 33 «*Interea in puppi somnum carpebat Iesus*» congruens cum Verg. IV 554 «*Aeneas celsa in puppi* . . . . | *Carpebat somnos*», quod iam Huemerus monuit. Iuvencus Vergili enuntiatione videtur usus esse propterea, quod imperfectum verbi «*dormire*» non in alia forma nisi «*dormibat*», quae inusitata est, in versu hexametro adhibere potuit. — Quod dicit Mtth. VIII 27 «*Illi autem homines mirati sunt*» exprimit Iuv. II 39 «*Illi inter sese timidis miracula miscent*». Quis est quin statim intellegat poetam adhibuisse Verg. XII 720 «*Illi inter sese multa vi volnera miscent*». — Eodem modo utitur Iuv. enuntiatione Vergiliana, quo loco exprimit Mtth. IX 10 «*homo erat manum habens aridam*», dicens II 585 86 «*Siccatum ex numero cui pondus inutite palmae* | *Pendebat* . . . . .» Statim nobis in mentem venit X 341 «*dexteraque ex umero nervis moribunda pependit*» et locus similis VI 301, quo de Charone dicit «*sordidus ex umeris nodo dependet amictus*». — Vocem «*alligare*» (Mtth. XII 29 *nisi prius alligaverit fortem*) circumit Iuv. II 617 18 «*ni prius* . . . . *custodum bracchia nodis* | *Vinciat* . . . .», nisi fallor, usus et Vergilio I 295 «. . . . *vinctus* . . . . | . . . . *nodis* . . . .» et Corneli Galli *Ciride* 450 «. . . . *bracchia nodis.*» — Verba Ioh. V 24: «. . . . *habet vitam aeternam*»

explicat Iuv. II 652 «. . . . lucisque . . . . *ad limina tendit*», usus Verg. II 321 enuntiatione «. . . . *ad limina tendit*». Praeterea confer hos locos:

Mtth.	IV 6 = Iuv.	I 398	cum Verg. II 565; XII 287
Mtth.	V 4 = Iuv.	I 457	„ Verg. IV 275/76
Mtth.	VIII 20 = Iuv.	II 15	„ Verg. G. II 214
Ioh.	III 5 = Iuv.	II 193	„ Verg. G. II 200; B. II 59
Mtth.	XXIV 27 = Iuv.	IV 145	„ Verg. IX 111.

b) Sicut Iuvencus voces evangelistae singulas enuntiationibus Vergilianis reddit, ita exornat orationes inprimisque narrationes enuntiationibus et amplificationibus, quas eum e Vergilio petivisse statim apparet. Itaque hic aliquid additur, illic aliquid commutatur, quod minime «*certam fidem*» imminuat, praesertim cum ingenium in narrationibus et descriptionibus poetae reprimendum non esset, quippe quae non essent dei verba. Sed ne in his quidem suo ingenio Iuvencus utitur, sed satis habebat enuntiationes, amplificationes ex aliis poetis aut ad verbum recipere aut ita mutare, ut eis possit uti. Vergilius autem, ut iam dixi, plurimum ei dedit.

Ex minimis amplificationibus sunt «attributa», quae addit rebus aut personis, quae e Vergilio petita esse apparet. Exemplis a me repertis utar:

In carminis praefatione v. 3 Iuvencus »*sidera caeli*» significat «*ignea*». In mentem habuisse videtur Verg. IV 352, quo «*astra*» significantur «*ignea*». Quod Iuvencus IV 470 dicit «*lucida sidera*», sequi videtur Horatium c. I, 3, 2. — Quod Iuvencus I 345 voci «*paleas*» attribuit adiectivum «*leves*», sequitur Vergilium, qui dicit G. I 368 «*saepe levem paleam*« — Iuvencus addit II 177 vocabulo «*nocte*» adiectivum «*obscura*» sine dubio Vergilium II 420 secutus «*illi etiam, si quos obscura nocte . . . .*». — Quo loco II 338 «. . . . *sed perge et sospite vita*

Aedibus in vestris dulcem complectere natum»

Iuvencus liberius reddit Iesu verba (Ioh. IV 50) «*Vade et filius tuus vivit*», attributum «*dulcem*» e Vergilio G. II 523 sumptum esse mihi videtur, quo legitur «*interea dulces*

pendent circum oscula nati.» — In circuitu vocis «sanis» II 354/55 Iuvencus vocabulo «*salus*» attribuit adiectivum «*intemerata*», quod e Vergilio petitum puto, qui dicit II 143 «*Intemerata fides* ...». Non aliter res se habet, si Iuvencus II 706 «*gentem*» Pharisaeorum et scribarum significat «*impiam*». Sine dubio sequitur Verg. G. II 537 «. . . . *ante* | *Impia quam caesis gens est epulata iuvencis*». — Haud scio an Iuvencus II 779 voci «*agro*» addat adiectivum «*duro*» Vergilium secutus, qui VII 747 similiter dicit «. . . . *duris glaebis*». — Simili modo Iuvencus II 790 «*pinguia*» voci «*arva*» attribuisse mihi videtur Vergilium imitatus, apud quem saepe occurrit «*pinguia*» coniunctum cum simili voce «*culta*», veluti VIII 63, X 141. — Certissumum autem habeo testem Iuvencum attributa e Vergilio petivisse locum IV 631, quem quamvis iam Reuschius commemoravit, tamen meum in usum repetam. Hoc enim loco appellat Iuvencus mortem Iudae, qui se suspendit de ficu «*informem*» Vergilium secutus, qui letum suspendio oppetitum appellat «*informe*» XII 603: «*Et nodum informis leti trabe nectit ab alta*».

Praeterea conferri possunt:

Iuv.	I 452	cum	Verg. III 245;
Iuv.	II 505	„	Verg. G. I 69;
Iuv.	II 563	„	Verg. G. II 424;
Iuv.	III 38	„	Verg. VI 229;
Iuv.	III 127	„	Verg. VII 24;
Iuv.	IV 211	„	Verg. B. IV 68; G. II 425;
Iuv.	IV 379	„	Verg. G. IV 555;
Iuv.	IV 517	„	Verg. I. 670/71;
Iuv.	IV 725	„	Verg. V. 408;

Iuvencus exornat et amplificat narrationes et orationes enuntiationibus Vergilianis:

Matthaei verba VI 26 «*Respicite volatilia caeli, quoniam non serunt neque metunt neque congregant in horrea*» exornat Iuvencus I 635 «. . . . *num vomere presso Terga soli subigunt* . . . .» nisi fallor secutus Vergilium G. I 125 «*ante Iovem nulli subigebant arva coloni*». — Quod Marcus V 14 simpliciter narrat «*Qui autem pascebant illos, fugerunt et renuntiaverunt in civitatem et in agros*» reddit Iuvencus II 70 sq.:

Diffugiunt urbisque ruunt ad tecta subulci
Et famam accedunt populosque ad litora cogunt»

Vergilium habens ducem XI 236 «*olli convenere ruuntque ad regia plenis* | *Tecta viis* . . . .», et, ut iam Huemerus annotavit, IV 289 «. . . . *sociosque ad litora cogant*». — Apud Mtth. IX 7 legimus «*et surrexit et abiit in domum suam*», quod Iuvencus exornat II 91

«*Surrexit letumque umeris iam fortibus aptat*
Per mediumque vigens populi mirantes abibat»

adhibens Vergilium IX 364 «*haec rapit, atque umeris nequiquam fortibus aptat*». — Mtth. IX 9 «*et surgens secutus est eum*» reddit II 98 «*Imperio Christi paret gaudetque secutus*» usus Vergilio IV 295 «*Imperio laeti parent* . . . .». — Cum apud Ioh. IV 6 «*Iesus autem fatigatus ex itinere sedebat super puteum*» nihil legatur Iesum «*aestu*» fatigatum resedisse, exornat Iuv. II 247: «*Sederat hic rapido salvator anhelus in aestu*» fortasse in mente habens Vergilium B. II 10: «*Thestylis et rapido fessis messoribus aestu*». — Mtth. IX 36 «. . . . *et iacentes sicut oves non habentes pastorem*» exornat Iuvencus II 423

«. . . . *cui pascua laeta*
Innumerae tondent pecudes rectoris egentes»

imitatus Vergilium G. I 14/15

«. . . . *cui pinguia Ceae*
ter centum nivei tondent dumeta iuvenci».

Quo loco III 390: *En maris undisoni rupes quae prodit in altum* | *Scandatur tibi summa* . . . .» Iuvencus reddit evangelistae Mtth. XVII 26 «. . . . *vade ad mare et mitte hamum* . . . .», exornat Vergilio usus X 693 «*ille velut rupes vastum quae prodit in aequor*, ...». Adiectivum «*undisoni*» est sumptum, ut Hatfieldius memoravit p. 47, e Stati *Achilleide* I 198: «*at Thetis undisonis per noctem in rupibus astans*». — Quod Iuvencus III 460/61:

«. . . . *Galilaeaeque arva reliquit*
Iudaeamque petit, qua pinguia rura silenter
Agmine Iordanes viridis perrumpit amoeno»

poetice amplificat, quod dicit Mtth. XIX 1 simpliciter «. . . . *transtulit se a Galilaea et venit in fines Iudaeae trans Iordanem*» amplificationem poeta fecisse mihi videtur secutus similes Vergili descriptiones. Fortasse ante oculos habebat hos Vergili locos II 781/82:

«*Et terram Hesperiam venies, ubi Lydius arva*
Inter opima virum leni fluit agmine Thybris»

et VIII 63 sq.:

«. . . . *ego sum, pleno quem flumine cernis*
Stringentem ripas et pinguia culta secantem
Caeruleus Thybris . . . .»

et VII 30: «. . . . *hunc inter fluvio Tiberinus amoeno*». — Iuvenci versus IV 513 initium «*Pars strictis gladiis pars* . . . .» est factum ex imitatione Vergiliana XII 278 «*Pars gladios stringunt manibus, pars* . . . .»

Ubicumque evangelista tempora refert, Iuvencus describit ea sive adhibitis enuntiationibus Vergilianis sive adhibita Vergili ratione:

Lc. verba I 24 «*celabat se mensibus quinque*» reddit Iuv. I 51 «*Donec quinque cavam complerent lumina lunam*». Quis est quin statim meminerit versus Vergiliani III 645 «*Tertia iam lunae se cornua lumine complent*». — Simili modo circumit Iuv. IV 376 «*Quattuor en luces totidemque ex ordine noctes* | *Praetereunt* . . . .» vocem «*quatriduum*» (Ioh. XI 39) sine dubio adhibens Vergilium III 203: «*Tris adeo* . . . . *soles* | *Erramus pelago totidem sine sidere noctes*». Pro «*sine sidere*» habet Iuvencus «*ex ordine*», quod saepissime occurrit apud Verg. in eodem versus pede quo apud Juv., veluti V 773, VII 139, G. IV 507, quo legitur versus exiens «*ex ordine menses*», quem Juv. quoque habet I 103. Verbis «*ex ordine*» exprimit Iuv. quattuor dies excipere alium alium. — Iuv. III 316/17: «. . . . *passus bis terna dierum* | *Lumina converso transcurrere caelo*» reddunt Mtth. XVII 1 «*post dies sex*» et simili modo Iuv. V 735 «*cum trino solis pariter* . . . . *recursu*» reddit Mtth. «*post tres dies*» XVII 64. Etiamsi similes locos neque apud Verg. neque apud alios

poetas reperire potui, tamen Iuvencus hac in descriptione imitatus esse Vergili ratonem mihi videtur.

Cum supra (p. 45) memoraverimus Iuvencum interdum solis ortus et occasus descriptiones e Vergilio aliisque poetis petivisse et exemplum huius rei attulerimus, de hac re nunc non iam dicam, praesertim cum illi quoque loci iam ab Huemero annotati sint. De duabus aliis quoque descriptionibus pauca verba facere mihi opus est, cum de his iam alii locuti sint. Sunt loci I 243 sq. et II 25—33; quorum in altero Iuvencus Mtth. II 9 «*ecce stella . . . . antecedebat eos*» exornans sequitur Vergilium VII 512, quorum in altero II 25—33 Vergilium eundem secutus describit tempestatem marinam. Omne fere verbum in hac descriptione petit e Vergilio; omnibus fere locis, quibus Vergilius describit tempestatem marinam, utitur.

c) Creizenachius errat cum dicit in opusculo „*Die Aeneis, die vierte Ecloge und die Pharsalia im Mittelalter, Frankfurt a. M. 1864, p. 11*“: „*Iuvencus wird noch von Petrarca bewundert. Den Spuren Vergils nachgehend wagt er wohl auch eine direkte Entlehnung; den Aufblick des guten Schächers zu Christo schildert mit demselben Vers, den die Aeneis von der geraubten Cassandra braucht.*“ Quamquam Iuvencum a Petrarca laudari verum est, fallitur auctor, cum Iuvencum in versibus, quibus de duobus latronibus narratur, Vergilium imitari putat. Nam in duobus tantum versibus IV 685/86:

«*Nec minus increpitant dextra laevaque gementes*
Adfixi crucibus scelerum pro sorte latrones»

Iuvencus poenitentis latronis non magis facit mentionem quam Mtth. XXVII 44: «*Id ipsum autem et latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei*». Sed si Seduli carmen paschale evolvimus, legimus V 217 sq.:

«*Alter adorato per verba precantia Christo*
Saucia deiectus flectebat lumina, tantum
Lumina, nam geminas arcebant vulnera palmas»,

quae verba prope ad verbum congruunt cum Vergilio II 405/6:

«*Ad caelum tendens ardentia lumina frustra,*
Lumina, nam teneras arcebant vincula palmas».

Sedulius igitur, minime id quod ille ait Iuvencus hoc loco Vergilium imitatur.

Restat ut dicam de additamento, cuius supra (p. 39—47) mentionem non fecimus. Sunt versus I 706/7:

Adveniet mox summa dies, qua iure severo
Praemia iustitiae tribuet scelerique gehennam».

Nihil simile invenitur apud Mtth., quem poeta usque ad hos versus secutus est et quem post hos versus sequitur. Iuvencus postquam versibus antecedentibus 701—705 expressit Mtth. VII 21 *Non omnis, qui dicet mihi, domine, domine, intrabit in regnum caelorum, sed qui facit voluntatem patris mei, qui in caelis est, ipse intrabit in regnum caelorum*», inserit nunc hos duos versus, quos eum adiecisse puto ut fingeret versus similes illis clarissimis Aeneidis II 324/25:

«*Venit summa dies et ineluctabile tempus*
Dardaniae». (cf. Hom. Δ 164 sq.)

Carmini epico suo, si certamen inire voluit cum Vergili carmine, tales versus inserere debuit, quales iis, qui carmen legerent, statim in memoria haererent. Neque negare possumus Iuvencum his duobus versibus optime expressisse summam religionis christianae sententiam[1]).

Alius versus exstat in carmine qui specie quidem compositus est simillimus illi Vergili versui clarissimo VI 376:

«***Desine** fata deum flecti **sperare precando***»,

Iuvenci versum dico I 59:

Desine** conspectu mentem **turbare verendo».

d) Supra breviter memoravimus Iuvenci versuum initia et exitus saepe congruere cum Vergilio. Tantum abest ut omnia exempla referam, quae Huemerus et Hatfieldius collegerunt, ut prolaturus sim non alia nisi a me reperta.

---

[1]) Num Iuvencus hos versus inseruerit commotus «*chiliasmo*» qui dicitur dubium videtur. De «*chiliasmo*» cf. Wetzer-Welter, Kirchenlexikon t. III p. 144; Neumann, Der römische Staat und die allgemeine Kirche bis auf Diokletian I p. 251.

Versum initia congruunt:

Iuv. I 646: *Quod superest*	=	Verg. G. II 346; G. IV 51: *Quod superest*	
II 118: *Talibus attoniti*	=	III 172: *Talibus attonitus*	
II 355: *Intemerata*	=	II 143: *Intemerata*	
III 197: *Haut mora*	=	V 140: *Haut mora*	
III 287: *Haut aliter*	=	I 399; IX 65: *Haut aliter*	
IV 153: *Signa dabit*	=	G. I 439: *Signa dabit*	

Versum exitus congruunt:

Iuv. I 101 *ex ordine menses*	=	Verg. G. IV 507 *ex ordine menses:*
I 302 *patriamque revisit*	=	G. IV 390 *patriamque revisit:*
I 452 *rupe resedit*	=	V. 180 *in rupe resedit;*
I 697 *sentibus uvas*	=	B. IV 129 *sentibus uvas*;
IV 756 *lumina vitae*	=	VI 828 *lumina vitae.*

Sed non solum versus incipientes et exeuntes petit Iuvencus a Vergilio, sed etiam alii versuum pedes conveniunt cum Vergilio:

Iuv. II 98: *Imperio Christi paret gaudetque secutus;*
Verg. IV 295: *Imperia laeti parent ac iussa facessunt;*

Iuv. I 386: *Tum sic adgreditur vocis fallente veneno;*
Verg. IV 92: *Talibus adgreditur Venerem Saturnia dictis;*

Iuv. II 585: *Siccatum ex umero cui pondus inutile palmae;*
Verg. X 341: *dexteraque ex umero nervis moribunda pependit;*

Iuv. IV 568: *Insultant verbisque omnes inludere certant;*
Verg. IX 634: *Transigit. I, verbis virtutem inlude superbis;*

Iuv. IV 531: *Vos autem stricto qui me conprendere ferro;*
Verg. IV 580: *Fulmineum stricto ferit retinacula ferro;*

Iuv. IV 145: *Sicut enim fulgur caelum transcurrit apertum;*
Verg. IX 111: *visus ab Aurora caelum transcurrere nimbus;*

Iuv. IV 725: *Limen concludunt immensa volumina petrae;*
Verg. V 408: *huc illuc vinclorum immensa volumina versat;*

Iuv. II 200: *iactat, sed nescis quae sint exordia vocis;*
Verg. IV 284: *audeat affatu? quae prima exordia sumat;*

Iuv. III 38: *Erroris labem puris quod solveret undis;*
Verg. VI 229: *Idem ter socios pura circumtulit unda;*

Iuv. III 129: *conveniunt populi r a p i d o per litora c u r s u:*
Verg. V 291: *hic qui forte velint r a p i d o contendere c u r s u:*
Iuv. IV 145: *Sicut enim fulgur c a e l u m transcurrit a p e r t u m;*
Verg. I 155: *prospiciens genitor c a e l o q u e invectus a p e r t o:*
Iuv. I 210: *Concedet populos: dictum in c o n t r a r i a signum;*
Verg. XII 487: *diversaeque vocant animum i n c o n t r a r i a curae:*
Iuv. I 4: *Digesto instabat lectorum ex o r d i n e ratum;*
Verg. VII 139: *Idaeumque Iovem Phrygiamque e x o r d i n e matrem;*
Iuv. I 421: *praeteriensque videt ponti p e r l i t o r a fratres:*
Verg. V 765: *exoritur procurva ingens p e r l i t o r a fletus:*
Iuv. I 722: *Diversique procul factis per l u b r i c a perget;*
Verg. V 335: *nam sese opposuit Salio per l u b r i c a surgens:*
Iuv. I 424: *Piscibus insidias disponere m a r m o r i s undis;*
Verg. VII 718: *quam multi Libyco volvuntur m a r m o r e fluctus:*

Iuvencum eiusmodi enuntiationibus, quae petitae sunt a Vergilio, non contemnendum esse in studiis criticis Vergili carminum uno exemplo demonstrabo:

In Aeneidis editione Ribbeckiana critica legitur versus XI 236: *olli convenere f l u u n t q u e ad regia plenis | Tecta viis . . . .*, quod praebent Servius et omnes codices (PR.) praeter Mediceum, qui habet ‹*r u u n t*›. Cum etiam apud Iuvencum II 70: *Diffugiunt urbisque r u u n t a d t e c t a subulci*, quo loco Iuvencus sine dubio Vergilium sequitur, legatur *r u u n t*, ille lectionis ‹ruunt› est vetus testis.

e) Quantam operam Vergilius in exornatione carminum posuerit, inter omnes constat. Quod Iuvencus eandem diligentiam ad carmen exornandum adhibet, usus est Vergilio magistro. Itaque nunc videamus, quomodo Iuvencus hac in re Vergilium secutus sit. Duces habeo hac in opusculi parte duos libros: Kvičalam *„Neue Beiträge zur Erklärung der Aeneis. Prag 1881“* et Eduardum Norden *„P. Vergilius Maro. Aeneis, Buch VI Leipzig 1903“.*

Sicut Vergilius in carminibus **verborum continuationem** diligenter colit et intra continuationem observat membra et incisa, ita Iuvencus, quantum equidem animadverti, quamquam disquisitionem huius rei accuratam non aggressus sum. Exemplum proferam:

Verg. VI 1—5:

«*Sic fatur lacrimans, classique immittit habenas,*
et tandem Euboicis Cumarum adlabitur oris.
obvertunt pelago proras, tum dente tenaci
ancora fundabat navis, et litora curvae
praetexunt puppes»[1].

Habemus in hoc circuitu duo τρίκωλα: 1. *sic — lacrimans, classi — habenas, et — oris;* 2. *obvertunt — proras, tum — navis, et — puppes.*

Quocum Vergili loco cfr. ex Iuvenco II 25—29:

«*Conscendunt navem, ventoque inflata tumescunt*
Vela suo, fluctuque volat stridente carina.
Postquam altum tenuit puppis, consurgere in iras
Pontus et inmissis hinc inde tumescere ventis
Instat et ad caelum rabidos sustollere montes».

Habemus hic duo membra (κῶλα): I. *conscendunt — carina.* II. *postquam — montes,* quorum alterum e tribus incisis (κόμματα) constat:

a) *conscendunt navem,*
b) *ventoque inflata tumescunt vela suo,*
c) *fluctuque volat stridente carina,*

quorum alterum constat e duobus incisis:

a) *postquam altum tenuit puppis,*
b) *consurgere — montes*
  α) *consurgere in iras pontus,*
  β) *et inmissis hinc inde tumescere ventis instat,*
  γ) *et ad caelum rabidos sustollere montes.*

Praeterea spectemus versus, qui sequuntur II 30—35:

«*Et nunc mole ferit puppim nunc turbine proram,*
Inlisosque super laterum tabulata receptant
Fluctus disiectoque aperitur terra profundo.
Interea in puppi somnum carpebat Iesus.
Illum discipuli pariter nautaeque paventes
Evigilare rogant pontique pericula monstrant».

Circuitus habet duo ternorum versuum membra: I. *Et nunc — profundo;* II. *Interea — monstrant.*

[1] Norden l. c. p. 110.

Membrum prius constat e tribus incisis:

a) *et nunc mole ferit puppim nunc turbine proram,*

b) *inlisosque super latorum tabulata receptant fluctus,*

c) *disiectoque aperitur terra profundo.*

Membrum alterum habet tria quoque incisa:

a) *Interea in puppi somnum carpebat Iesus,*

b) *illum discipuli pariter nautaeque paventes evigilare rogant,*

c) *pontique pericula monstrant.*

Nunc disquiram, **quomodo verba collocaverit**[1]).

Verborum concinnitas:

I. Versus includitur verbis, quae conexa et apta sunt inter se, attributo et substantivo. Attributum est adiectivum vel pronomen vel participium.

a) Versus incipit ab attributo:

α) Attributnm et substantivum sunt in eodem casu:

Verg. VI 17: *Chalcidicaque levis tandem super astitit arce;*

Iuv. I 28: *Aemula promissis obsistit talibus aetas;*

Iuv. I 260: *Horribilem iussit Bethlem per compita caedem;*

Iuv. I 624: *Ipsis horror erit quantus sine luce tenebris?*

Hic ordo occurrit in carminis praefatione, quae habet 27 versus, semel. In libro I. versuum 770 23 ×, in II. versuum 829 29 ×, in III. (773) 23 ×, in IV. (812) 19 ×. Ergo in libris quattuor invenitur 95 ×, cum in duodecim Aeneidis libris (9896 v.) reperiantur tantum 158 exempla. Apud Vergilium inter centenos versus inveniuntur 1,5 exempla, apud Iuvencum inter centenos 2,95.

β) Attributum, quod pendet a substantivo, est ipsum substantivum et in casu

---

[1]) cf. K(vičala) l. c. p. 275 sq. et N(orden) p. 382.

genetivo. Casus genetivus facit versus initium:

Verg. I 502: *Latonae tacitum pertemptant gaudia pectus.*

Iuv. II 137: *Mensarum tunc inde vocat laetata ministros.*

Iuv. III 68: *Corporis at lacerum flentes sine nomine truncum.*

Iuv. IV 6: *Caesaris expressum facile est ubi cernere vultum.*

Nisi fallor, invenitur haec collocatio in libro I. 4 ×, in II. 6 ×, in III. 4 ×, in IV. 3 ×, cum apud Vergilium reperiantur duo tantum exempla. Ergo Iuvencus hac quoque in re superat Vergilium.

b) Attributum facit versus finem:

α) Attributum congruit cum substantivo in casu:

Verg. I 189: *ductoresque ipsos primum capita alta ferentis.*

Verg. I 471: *Tydides multa vastabat caede cruentus.*

Iuv. I 1: *Rex fuit Herodes Iudaea in gente cruentus.*

Iuv. II 820: *Fermento par est munus caeleste salubri.*

Iuv. III 255: *Discipuli tandem vitalia verba secuti.*

Apud Iuv. occurrit haec collocatio 10 × in quattuor libris, in Aeneidis libris XII reperiuntur 38 exempla. Haec collocatio est rara, cuius rei causam Nordenius attulit[1]).

β) Attributum pendet e substantivo:

Verg. I 326: *nulla tuarum audita mihi neque visa sororum;*

Verg. VIII 401: *quidquid in arte mea possum promittere curae;*

---

[1]) N. l. c. p. 382.

Iuv. I 270: *annus letiferi miseros oppresserat aevi:*

Iuv. II 268: *ardorem excludent aeterna in saecla bibendi;*

Iuv. III 415: *Laetitia inventae maior tum nascitur agnae;*

Iuv. IV 805: *Ornamenta libens caperet terrestria linguae;*

Loci ceteri sunt hi: I 385, 703; II 362; IV 119, 718; ergo in summa occurrit haec collocatio apud Iuv. 9 ×, cum Kvičala e Vergilio duo exempla proferat quae supra memoravi.

II. Attributum est positum praedicative:

a) Attributum facit versus initium:

Verg. I 128: *disiectam Aeneae toto videt aequore classem;*

Iuv. I 436: *Insinuans populis regni praeconia Christus;*

Iuv. II 713: *Expulsus si quando fugit de pectore daemon.*

Haec duo exempla inveni apud Iuv., cum Kvičala in Aeneidis libris 21 invenerit.

b) Attributum facit versus finem:

Verg. IV 260: *Aeneam fundantem arces ac tecta novantem:*

Iuv. I 68: *virtus celsa dei circumvolitabit obumbrans;*

Iuv. III 256: *Doctrinam cernunt fermenti nomine dictam;*

Iuv. praebet haec duo exempla, Verg. in Aeneidis libris I.—V. novem, nullum in libris VI.—XII.

III. Versus includitur verbis duobus:

a) verbis finitis,

α) quae *non similiter* desinunt:

Verg. VI 157: *Ingreditur linquens antrum caecosque volutat;*

Iuv. I 19: *Promittit, grandis rerum cui gloria restat;*
Iuv. I 201: *accepit puerum laetusque haec dicta profatur;*
Iuv. I 336: *Caedentur silvae steriles ignemque fovebunt;*

In libro I. exstant huius rei 21 exempla, in II. 15, in III. 20, in IV. 17.

β) quae *similiter* desinunt:

Verg. VI 213: *flebant et cineri ingrato suprema ferebant;*
Iuv. I 117: *Concelebrent cuncti laudes gratesque frequentent;*
Iuv. I 322: *Complebant ripas avidique lavacra petebant;*
Iuv. II 25: *Conscendunt navem ventoque inflata tumescunt;*

In libro I. occurrunt 6 exempla, in II. 1, in III. 6, in IV. 7.

γ) quae incipiunt ab *eadem* littera:

Verg. VI 54: *conticuit. gelidus Teucris per dura cucurrit;*

Iuvencus habet exempla duo:

I 107: *cogeret. Ad partus famam collecta cucurrit;*
III 399: *Praecipit et placido doctor sermone profatur;*

δ) quae incipiunt ab eadem littera et *similiter* desinunt:

Verg. VI 54: *conticuit. gelidus Teucros per dura cucurrit;*

apud Iuv. invenitur unum exemplum:

Iuv. IV 565: *conclamant omnes mortique addicere certant.*

Ergo in summa reperiuntur apud Iuv. 93 exempla eius collocationis, qua versus includitur, in Aeneidis libris XII 384. Inter centenos Vergili versus inveniuntur quattuor (3,9) exempla, inter totidem Iuvenci tria (2,9).

b) versus includitur duobus substantivis:

α) duobus subiectis:

Verg. II 164: *Tydides sed enim scelerumque inventor Ulixes;*
Iuv. I 276: *Vox instincta deo: Veniet, veniet mea proles;*
Iuv. II 555: *Filius, aut idem pandet cui talia natus;*

praeterea apud Iuv. his locis I 413, 540; II 26, 730; III 10, 660; IV 586; ergo in summa habemus 9 exempla. Kvičala invenit in tota Aeneide 80 exempla. Inter centenos Vergili versus reperiuntur 0,8, inter totidem Iuvenci 0,28.

β) duobus obiectis:

Verg. I 184: *navem in conspectu nullam, tris litore cervos;*
Iuv. I 128: *errorem per te spernent mortisque tenebras;*
Iuv. I 261: *infantes cunctos teneramque sub ubere plebem;*
Iuv. I 707: *praemia iustitiae tribuet scelerique gehennam;*

praeterea his in locis Iuv. III 163, 268; IV 104, 181, 448, 620; ergo in summa sunt 9 exempla. Aeneis praebet 93 exempla. Inter centenos Vergili versus reperiuntur 0,9, inter totidem Iuvenci 0,28.

γ) duobus adiectivis, participiis, numeralibus:

Verg. I 634: *viginti tauros, magnorum horrentia centum;*
Verg. II 28: *desertosque videre locos litusque relictum;*
Iuv. I 71: *Magnificum gigni populis, quem credere sanctum;*
Iuv. I 361: *ablutumque undis Christum flatuque perunctum;*

Ab Iuvenco interdum substantiva consulto posita esse in duobus versus locis gravissimis, veluti a Vergilio in

I 1: *vi superum saevae memorem Iunonis ob iram,*
I 129: *fluctibus oppressos Troas caelique ruina*;

apparet ex versu hoc:

Iuv. II 475: *Discipulus numquam transcendat celsa magistri,*

in quo verbum «*discipulus*» verbo opponitur verbo «*magistri*». Ergo Iuvencus rem oppositam, quae verbis inest, speciosam et illustrem reddere vult substantivorum collocatione. Praeter hoc exemplum inveniuntur apud Iuv. decem. Sunt haec: I 641, 650, 691, 695, 707; II 15, 459; III 49, 102, 113. Vergilius habet in Aeneide 65 exempla.

IV. Duo vel plures versus continui incipiunt a verbo finito:

a) Verba quae ***non*** *similiter* desinunt:

Verg. VI 424 sq.: *occupat Aeneas aditum custode sepulto*
evaditque celer ripam inremeabilis undae.

Verg. II 234 sq. sq: *dividimus muros, et moenia pandimus urbis.*
Accingunt omnes operi, pedibusque rotarum
subiiciunt lapsus et stuppea vincula collo
intendunt.

Iuv. I 156 sq.: *Solvitur et puerum veteri cunabula textu*
Involvunt . . . .

Iuv. I 109 sq.: *Concelebrant* nomenque iubent genitoris habere.
Abnuit hoc genetrix, sed Johannes vocitetur
Ingeminat . . . .

In 35 exemplis incipiunt duo versus continui a verbis, in 8 tres versus continui.

b) Verba quae *similiter* cadunt:

Verg. VI 216 sq.: *intex*unt *latera* . . . .
*constitu*unt *decorantque* . . . .

Iuv. III 631/32: *adducunt mollique super velamine vestis*
insternunt pullum placidum praebentque sedendum.

Horum exemplorum numerus est 7. Ergo in summa habemus 35 + 8 + 7 exempla = 50. In duodecim Aeneidis libris Kvičala[1]) invenit 112 exempla. Inter centenos Vergili versus inveniuntur 1,1, inter totidem Iuvenci 1,5.

V. Fines versuum duorum vel plurium continuorum fiunt verbis finitis:

a) Verbis quae ***non*** *similiter* desinunt:

Verg. VI 379 sq.: . . . . *ossa piabunt*
. . . . *solemnia mittent*

Verg. IV 243 sq.: . . . . *mittit*
. . . . *resignat*
. . . . *tranat*
. . . . *cernit*
. . . . *fulcit*

Iuv. I 95/96: *suppressae vocis pavitantia dicta volutat:*
Magnificas laudes animus gratesque rependit

Iuv. I 462 sq. sq.: *illum nam domini miseratio larga manebit.*
Felices puro qui caelum corde tuentur,
Visibilis deus his per saecula cuncta patebit.
Pacificos deus in numerum sibi prolis adoptat.

Numerus exemplorum, in quibus duorum versuum fines fiunt verbis, est 70; in quibus trium versuum fines fiunt verbis, est 23; in quibus quattuor versuum exitus fiunt verbis, est 5; quinque versuum, est 1 (II 663 sq.)

---

[1]) l. c. p. 285—87.

b) Verbis, quae *similiter* desinunt:

Verg. VI 684 sq.: . . . . *per gramina vidit*
. . . . *utrasque tetendit.*

Iuv. I 395 sq.: *Me meminisse magis scripti caelestis oportet*
Ne vires domini fidens audacia temptet.

Iuv. I 452 sq.: *Hos populos cernens praecelsa rupe resedit*
Ac sic discipulis gremium cingentibus infit:
Felices humiles, pauper quos spiritus ambit,
Illos nam caeli regnum sublime receptat,
His similes mites, quos mansuetudo coronat . . . .

In 19 exemplis exeunt duo versus continui in verba, in uno exemplo tres versus (IV 116/17/18), in uno quinque versus (I 452—456). — Omnium autem exemplorum summa est 70 + 23 + 5 + 1 + 19 + 1 + 1 = 120. Ergo 120 huiusmodi exempla inveniuntur in quattuor Iuvenci libris, cum Vergilius in duodecim Aeneidis libris habeat tantum 114 exempla, ut Kvičala demonstravit[1]). Inter centenos Vergili versus inveniuntur 1,1, inter totidem Iuvenci 3,7.

VI. Verbum facit alterius versus initium, alterius exitum:

Verg. VI 202 sq.: *tollunt se celeres* . . . .
. . . . *super arbore sidunt;*

Iuv. I 278/79: *crescebat* . . . .
. . . . *praeveniebat;*

Iuv. II 70/71: *diffugiunt* . . . .
. . . . *cogunt;*

Iuv. II 149/50: *increpat* . . . ., *quod* . . . .
. . . . *dedisset.*

---

[1]) l. c. p. 289/90.

Exempla huiusmodi exstant apud Iuv. in summa 55, quorum in 44 verba *non similiter* desinunt, in 11 *similiter* cadunt. Quot exempla tota in Aeneide occurrant, nescio. In libro sexto qui constat e versibus 901 Nordenius[1]) collegit 5 exempla. In uno autem Iuvenci libro occurrit haec collocatio 14 × vel 15 ×. Ergo Iuvencus hac in re quoque Vergilium superare videtur.

VII. Verba faciunt alterius versus initium et exitum, alterius exitum:

Verg. VI 468 sq.:

lenibat dictis animum lacrimasque ciebat
. . . . *tenebat*[2]).

Iuv. I 245 sq.:

restitit et pueri lustrata habitacula monstrat.
. . . . *salutant.*

Iuv. II 91 sq.:

surrexit lectumque umeris iam fortibus aptat,
. . . . *abibat.*

Iuv. III 724 sq.:

praecipit et . . . . *reposcit,*
. . . . *surgit;*

in summa inveni 18 exempla, quorum in uno tria verba *similiter* desinunt, in quinque *similiter* cadunt duo verba sive ea quae versum priorem includunt veluti IV 741/42, sive verba quae versus utriusque finem faciunt veluti II 91/92 sive verba quae versus prioris initium et versus alterius finem faciunt veluti I 298/99.

VIII. Versus prior incipit a verbo et versus alter verbis includitur[3]):

Verg. VI 421 sq.: *obicit ille* . . . .
corripit . . . . *atque* . . . . *resolvit;*

Iuv. II 653 sq.: *adveniet tempus* . . . .
accipient . . . . *et* . . . . *tenebunt;*

Eadem collocatio etiam invenitur I 90/91; III 486/87; IV 262/63, 331/32.

[1]) l. c. p. 383.

[2]) N. l. c. p. 383/84.

[3]) N. p. 384.

IX. Ratio harum collocationum continuatur in pluribus versibus[1]):

Iuv. I 18 sq.: *Praecipit et . . . .*
Promitit, . . . cui gloria restat
. . . . qui . . . . quaeret;

idem IV 243 sq. et 262/63/64.

Iuv. III 493 sq.: *. . . . ferebat*
Suscipit et . . . . quod prohiberet,
Increpat . . . .

Iuv. IV 149 sq.: *Absondet . . . . sol,*
Amittet . . . .
. . . . relinquent,

Iuv. IV 471 sq.: *Inducit . . . . ,*
audiet, ut . . . .
dices et . . . . negabis,

quocum loco cf.

Verg. VI 847 sq.: *excudent . . . .*
orabunt . . . .
describent . . . . dicent.

Quomodo Iuvencus duo substantiva et duo attributa in uno versu disposuit[2])?

Omnes, qui Iuvencum legent, oculis perspicient in Iuvenci esse deliciis omni fere substantivo adicere attributum. Saepissime autem inveniuntur uno in versu duo substantiva, quorum utrumque secum habet attributum. Etiam Iuvencus sequitur legem, quam Nordenius ita exprimit[3]): *„falls von zwei Substantiven das eine ein Attribut hat, so wird auch dem zweiten ein solches hinzugefügt“.* Itaque nunc spectemus quomodo Iuvencus illa substantiva eorumque attributa diviserit in unum versum.

Cum Nordenio faciens significabo attributa minutis ‹ a › et ‹ b › litteris, substantiva grandibus ‹ A › et ‹ B › litteris.

In Iuvenci versu I 518: ‹ *ultima*[a] *quam minimi*[b] *reddatur portio*[A] *nummi*[B] › habemus collocationem abAB, quae

1) N. p. 384. 2) N. l. c. p. 384. 3) l. c. p. 386.

occurrit apud Vergilium, ut exemplo utar, VI 142[1]): «*hoc sibi pulchra suum ferri Proserpina munus*».

In versu I 147 «*Quirinus, proprios*[a] *cui tota*[b] *per oppida*[B] *fines*[A]» est collocatio haec abBA. E Vergilio afferam exemplum quod Nordenius[1]) citat VI 569: «*distulit in seram*[a] *commissa*[b] *piacula*[B] *mortem*[A]».

In Iuvenci libris quattuor hae collocationes «abAB» et «abBA» reperiuntur, cum participia, numeralia, pronomina quoque in attributorum numero habeam, «abAB» nisi fallor 48 ×, in libro I. 7 ×, II. 20 ×. III. 5 ×, IV. 16 ×, «abBA» 54 ×, in libro I. 16 ×, II. 20 ×, III. 11 ×, IV 7 ×. Ergo in summa habemus 48 + 54 = 102 exempla. Quomodo res se habeat apud Vergilium e Nordeni commentario[2]) intellegi potest. In Bucolicis, quae constant ex 829 versibus, qui numerus convenit cum Iuvenci libro II., inveniuntur in summa 39 harum collocationum exempla, cum in Iuvenci libro II. 41 occurrantur. Inter centenos igitur Vergili versus inveniuntur 4,7, inter totidem Iuvenci 4,9. In Aeneidis libris I VI, qui efficiunt 1651 versuum, sunt 28 exempla, in Iuvenci libris II IV, qui efficiunt 1641 versuum habemus 36 exempla. Inter centenos igitur Vergili versus inveniuntur 1, inter totidem Iuvenci 2,1. Intellegimus ergo Iuvencum has collocationes paulo saepius adhibere quam Vergilium in pari Aeneidis versuum numero.

Collocationes autem, in quibus attributa sequuntur substantiva (ABab vel ABba), quas apud Vergilium omnino non inveniri Nordenius putat[3]), inveniuntur apud Iuvencum quoque rarissime. Collocatio ABab occurrit, nisi fallor, his duobus tantum locis: II 591 «*Et pecus*[A] *abrupto*[B] *tolletis vile*[a] *profundo*[b]» et 633. Altera collocatio ABba reperitur semel: in III 461.

Singulae res:

1. Ut apud Vergilium plerumque attributum et substantivum versu exeunte ita seiunguntur, ut attributum

[1]) N. l. c. p. 384. [2]) l. c. p. 385. [3]) l. c. p. 386.

antecedat substantivum veluti VI 4 sq. «. . . . *litora curva* | *praetexunt puppes*» ita apud Iuvencum veluti I 300 sq.

«*An nondum sentis, genetrix, quod iure paternis*
Sedibus et domibus natum inhabitare necesse est?

Sed occasione data substantivum antecedit attributum apud utrumque poetam:

a) Vergilius adhibet hanc collocationem, ut Nordenius demonstravit [1]), saepe, si attributo exprimitur numerus, magnitudo, spatium. Attributum hac collocatione separata effertur, veluti Verg. XI 62 sq.: «. . . . *solacia luctus* | *exigua ingentis*». Idem observari potest apud Iuvencum, veluti:

I 525 sq.: . . . *nam membrum perdere refert* | *exiguum* . . . .; II 607 sq.: . . . . *qui princeps daemoniorum* | *solus* . . . .; III 130 sq.: . . . . *vestisque attingere fila* | *extrema exoptant* . . . .; III 390 sq.: . . . . *rupes* . . . . | *summa* . . . .; III 567 sq.: . . . . *quod praecepta fuissent* | *nulla sibi* . . . .; IV 197 sq.: . . . . *puellis* | *bis quinis* . . . .; IV 714 sq.: . . . . *matres* . . . . | *omnes* . . . .

a) Attributum, quod est pronomen, postponitur: veluti:

Verg. B. VIII 11: *accipe iussis* | *carmina coepta tuis* . . . .;

Iuv. I 332 sq.: . . . . *pro nomine* . . . . *plebes* | . . . . *vestro*; II 167 sq.: . . . . *templum* | *hoc* . . . .; III 233 sq.: . . . . *signis* | . . . . *suis* . . . .; IV 556 sq.: . . . . *pectore* . . . . *tuo* . . . .;

c) Attributum, quod substantivi rem propriam singularem significat, postponitur:

Verg. VI 143 sq.: . . . . *non deficit alter (sc. ramus)* | *aureus* . . . .

Iuv. I 170 sq.: . . . . *iunguntur milia plebis* | *caelestis* . . . .; III 104 sq.: . . . . *sed nescia nautae* | *attoniti* . . . .; III 204 sq.: . . . . *in vertice montis* | *secreto* . . . .; III 528 sq.: . . . . *sub pectore virtus* | *humano* . . . .;

[1]) l. c. p. 390 sq.

III 615 sq.: . . . . *infantum* . . . . | *lactantum* . . . .:
IV 498 sq.: . . . . *temptatio* . . . . | *horrida* . . . .;
IV 583 sq.: . . . . *mentemque* . . . . | . . . . *tristem* . . . .;
IV 677 sq.: . . . . *loquellis* | *insanis* . . . .

Saepe adhibet Iuvencus hanc collocationem apud participium, veluti I 193 sq., 229 sq., 416 sq. etc.

2. Versus exit in vocem levem sive adverbium sive pronomen sive in particulam sive aliam vocem[1]):

a) versus exit in adverbium: In quattuor libris, qui complectuntur 3211 versuum, exstant in versus exitu adverbia haec: «*semper* 4 ×», «*nuper* 2 ×», «*umquam* 3 ×», «*quondam* 1 ×», «*alte* 2 ×», «*parumper* 1 ×», «*silenter* 1 ×», «*ante* = *antea* (III 707) 1 ×», «*intus* 1 ×», «*unā* 1 ×», «*olim* 1 ×», «*illic* 1 ×», «*latenter* 1 ×», «*late* 1 ×», «*aeque* 1 ×», ergo in summa 25 adverbia. Ergo Iuvencus adhibet hanc collocationem non saepius Vergilio, apud quem in 900 versibus Aeneidis libri VI 20 inveniuntur; immo Vergilius superat hac in re Iuvencum.

b) Versus exit in pronomen: pronominis relativi exemplum non invenitur; pr. personale ponitur versu in exeunte: «*vobis* 17 ×», *nobis* 2 ×», «*se* (*in se*) 1 ×», «*te (in te)* 1 ×»; pr. possessivum legitur in v. exeunte: «*noster*» eiusque casus obliqui 15 ×», «*vester* 11 ×»; pr. demonstrativum occurrit in versus exitu: «*ille* 14 ×», «*iste* 4 ×», «*is* 1 ×», «*hic* 2 ×», «*idem* 2 ×»; «*ipse* 3 ×»; pr. qualitatis facit versus finem: «*talis* 2 ×», «*tantus* 3 ×», «*uterque*» eiusque formae 3 ×; pr. indefinitum: «*ullus* 1 ×», «*quisquam* 2 ×», «*si quis* 1 ×», «*alter* 2 ×».

c) Versus exit in numerale: in «*unus* 6 ×», «*quinque* 2 ×», «*alter* (IV 236) pro «*secundus* 1 ×», «*septem* 1 ×».

d) Versus exit in praepositionem: Habeo unum tantum exemplum: III 409 «*supra*», quo in versu «*supra*»

[1]) N. l. c. p. 391 sq.

est postpositio. In Aeneidis libro VI. inveniuntur tria postpositionis exempla, quae Nordenius commemorat l. c. p. 221 ad v. 329. Iuvencus ergo adhibet hanc collocationem rarius quam Vergilius.

e) Unus Iuvenci versus exit in particulam: II 96 «*ergo*».

Numquam occurrit apud Iuvencum coniunctio in versus exitu.

3) Particularum inversio:[1])

Ut Vergilius numquam «*atque*» postponit, ita Iuvencus.

«*nam*» occurrit in altero sententiae loco 14 × in Iuvenci carmine; IV 56 reperitur in quarto sententiae loco.

«*namque*» a Iuvenco semper in sententiae initio ponitur, cum apud Vergilium altero et tertio sententiae loco legi possit.

«*at*» invenitur in quattuor locis I 382; II 628; III 68, 725 in altero sententiae loco; «*nec*» in quinque locis I 484, 487, 653; II 536.

«*sed*» a Iuvenco altero in sententiae loco ponitur 47 ×; saepissime invenitur coniunctum cum «*ille*» vel «*ecce*»; coniunctio «*ille sed*» occurrit 14 ×, «*ecce sed*» 8 ×, «*ipse sed*» 3 ×; in reliquis 22 exemplis positum est post aliam vocem. Duobus in locis II 696 et IV 603 occurrit in tertio sententiae loco; I 623 in quarto sententiae loco.

«*et*» exstat in altero sententiae loco 31 ×, «*aut*» 6 ×.

Verbis de collocatione verborum factis nunc quaestionem tractemus, quomodo **alliteratio** quae dicitur a Iuvenco adhibeatur. Alliterationis figuram antiquitus fuisse gratissimam rationem versuum exornandorum inter omnes constat. Quantopere Vergilius hac figura usus sit, praeclare demonstratum est a Kvičala[2]), quem in hac disquisitione sequor. Hanc rem iam Huemerus[3]) et Manitius[4]) obiter in Iuvenco quaesiverunt. Plura exempla collegit Huemerus in editionis indice p. 150.

[1]) N. l. c. p. 393 sq. [2]) l. c. p. 293 sq.

[3]) in «*Wiener Studien 1880 p. 180*».

[4]) in «*Rheinisches Museum, neue Folge 45*» *1890, p. 486/87.*

I. Versus includitur verbis, quae ab eadem littera vel syllaba incipiunt:

Verg. I 11: *inpulerit. tantaene animis caelestibus irae;*
Verg. III 40: *auditur . . . . auris;*
Iuv. praef. 20: *divinum populis falsi sine crimine donum;*
Iuv. I 37: *felicem gestans uteri sinuamine fetum,*

quo ex versu intellegitur poetam alliteratione usum esse prudentem ac scientem, nam in versu antecedente 86 alliteratio eiusdem syllabae exstat: . . . . *Felix o femina salve* ›. Ludit igitur poeta in vocabulorum veriloquio.

Iuv. I 279: *praecurrens . . . . praeveniebat;*
Iuv. II 547: *audiat . . . . aures;* cf. Verg. III 40.

Permultas paginas complere possum iis exemplis, tamen ea quae supra memoravi satis sint. In Iuvenci quattuor libris habemus huius alliterationis 168 exempla, tota in Aeneide, quae comprehendit 9896 versuum, 376 exempla. Inter centenos Vergili versus inveniuntur 4 exempla (3,9), inter totidem Iuvenci 5 (5,2). Iuvencus igitur adhibet eam saepius quam Vergilius.

II. Alliterationis forma ab ab[1]):

Verg. I 26: *exciderant animo manet alta mente repostum;* (a: animo, b: manet, a: alta, b: mente)
Iuv. I 3: . . . . *cui templum cura tueri;*
Iuv. I 587: *Nil absente . . . . nil abdita.*

Apud Iuv. haec forma in summa invenitur 105 ×, in Aeneide 442 ×. Inter centenos Vergili versus reperiuntur 4,5, inter totidem Iuvenci 3,2.

III. Alliterationis forma aa bb[1]):

Verg. I 140: *Argivom atque . . . . potuit . . . . ponto;* (a: Argivom, a: atque, b: potuit, b: ponto)
Iuv. pr. 9: . . . . *celsi cantus . . . . fonte fluentes;*
Iuv. II 222: *proculcet pedibus . . . . sidera surgens;*
Iuv. IV 103: *gentibus — gentes . . . . regibus . . . . reges;*

---

1) Cum Kvičala congruens non alia exempla respexi nisi quae formam abab sequuntur vel aabb.

in summa occurrit haec forma in Iuvenci carmine, nisi fallor 102 ×, in Aeneide tota 425 ×. Inter centenos Vergili versus inveniuntur 4,3, inter totidem Iuvenci 3,5.

IV. Alliterationis forma abba[1]):

Verg. I 83: *porta* (a) .... *terras* (b) *turbine* (b) *perflant* (a);
Iuv. I 305: *At puer .... praedulcibus ambos;*
Iuv. III 767: *Oppresso .... puri pectoris ore;*
Iuv. IV 618: *Denique vi victus detestaturque ....*

Ab Iuvenco haec forma adhibetur 101 ×, a Vergilio 399 × in Aeneide. Inter centenos Vergili versus inveniuntur 4, inter totidem Iuvenci 3,4.

V. Verba inter se apta et conexa incipiunt ab *eadem* littera vel syllaba:

Verg. I 35: .... *et rapidus vorat aequore vortex;*
Iuv. I 28: *aemula .... aetas;*
Iuv. II 129: .... *convivia concelebrabat;*
Iuv. II 724: .... *perpetuis ... poenis;*

Iuvencus praebet in summa huius formae 373 exempla, cum Vergilius in tota Aeneide 378 tantum habeat. Inter centenos igitur Vergili versus 3,7, inter totidem Iuvenci 11,7. Iuvencus ergo Vergilium valde superat.

VI. Alliteratio invenitur in verbis vel cognominatis vel similibus, quae Kvičala dicit „parallel".

Verg. I 200/1: *Vos et Scyllaeam rabiem penitusque sonantis accestis scopulos, vos et Cyclopea saxa*
Iuv. I 2: *sub quo servator iusti templique sacerdos;*
Iuv. I 25: .... *noscet .... novabit;*
Iuv. II 30: .... *nunc .... puppim .... nunc .... proram;*
Iuv. II 829: .... *repetit .... reliquit.*

In summa inveniuntur in quattuor Iuvenci libris 42 exempla, in Aeneidis libris XII 315. Inter centenos Vergili versus inveniuntur 3, inter totidem Iuvenci 1,3. Ergo Iuvencus hac in re a Vergilio superatur.

---

[1]) Cum Kvičala congruens non alia respexi nisi quae formam abba sequuntur

VII. In duobus verbis, quae versus exitum faciunt, adhibet Iuvencus alliterationem 177 ×, Vergilius in Aeneide 740 ×. Inter centenos Vergili versus inveniuntur 7,5, inter totidem Iuvenci 5,5. Iuvencus ergo hac in re quoque modestior est Vergilio.

f. Ex omnibus, de quibus in extrema parte de Iuvenci genere dicendi quam potuimus diligentissime disputavimus, satis apparet Iuvencum Vergili dictionem eleganter et modeste imitatum esse. Quodsi Iuvenco cognomen « *Vergilio christiano* » datum est[1]), ut poeta hoc honore non dignus est, ut dictionis artifex haud indignus videtur, praesertim cum Iuvenci aetate artes et studia litterarum neglecta iacerent.

---

[1]) in « Ersch-Gruber, *Allgem. Enzyklopädie der Wissenschaften* », sectio altera H—N, pars XXIX p. 235 sq.

Vita.

Natus sum Hermannus Iosephus Benedictus Widmann a. d. IV. Id. Iul. MDCCCLXXXI Aquis Mattiacis in Hasso-Nassovia provincia sitis parentibus Simone Petro Widmann, philosophiae doctore, et Iohanna, filia medicinae doctoris Iosephi Schwann, quos Deus Optimus Maximus usque ad hoc tempus conservavit et conservare velit. Fidei sum addictus catholicae. Pater meus tum erat magister ordinarius gymnasii regii Wisibadensis. Anno 1885 autem praefectus est scholae Lahnsteiniensi, in quam litteris elementariis imbutus intravi. Postquam hanc scholam frequentavi usque ad classem tertiam inferiorem me contuli in gymnasium regium urbis Confluentiae, cuius usque ad classem primam inferiorem fui discipulus. Sed cum ad patrem anno 1899 gymnasium regium oppidi Posnaniensis cui est nomen Wongrowitz delatum esset, gymnasio Confluentino valedicere et adire illud gymnasium coactus sum. Maturitatis testimonium adeptus mense Martio anni 1900 in academiam Vratislaviensem migravi, ut in studia philologica linguarum et veterum et germanae incumberem. Post duo semestria transii vere anni 1901 in universitatem Berolinensem, ubi magistris usus sum viris doctissimis his: *Kekule von Stradonitz, R. Lehmann, Roediger, Erich Schmidt, Vahlen, von Wilamowitz-Moellendorff*. Sex mensibus praeteritis reverti Vratislaviam. Postquam per tria semestria proseminarii philologici sodalis fui, autumno anni 1902 ascitus sum in numerum sodalium ordinariorum eiusdem seminarii, cuius fui particeps per tria semestria. Per quattuor semestria seminario

archaeologico *Ricardi Foerster*, per tria seminario germanistico *Max Kochio* duce, per unum semestre seminario historico *Cichorii* interesse mihi licuit. Alma mater Vratislaviensis praeceptores mihi dedit hos professores illustrissimos doctissimosque: *Baumgartner, Cichorius, Ebbinghaus, Richard Foerster, Hillebrandt, O. Hoffmann, Koch, Norden, Siebs, Skutsch, Vogt, Wuensch.* Cum iam in eo sit, ut almas Musarum sedes relinquam, facere non possum, quin hac occasione usus et praeceptoribus meis carissimis ac benevolentissimis, praecipue patri meo dilectissimo, qui in gymnasio me erudierunt, et omnibus illis professoribus amplissimis, quotquot me docuerunt litteras humanas, publice gratias ex intimo animo agam sincerissimas.

Theses.

1. In Firmici Materni libro *,de errore profanarum religionum'* cap. VII 4 (ed. Halm), ubi traditur *,per alium locum'* est scribendum *,per alium lacum'*.
2. In Vergili Aeneide XI 236 (ed. Ribbeck) pro *,fluunt ad tecta'* est scribendum *,ruunt ad tecta'* (Serv. PR.).
3. Goethe hat in *,Iphigenie auf Tauris'* II 2 sich angeschlossen an Sophocles' *,Philoctet'* 223 u. 233/34.